oseah. joel, Amos, Abdiah, Jonah.

EDVARDI LIVELEI,
Hebræarum literarum in Academia Cantabrigiensi professoris, annotationes in quinq; priores ex minoribus Prophetis, cum Latina eorum interpretatione, eiusdem opera ac studio, ad normam Hebraicæ veritatis diligenter examinata.

LONDINI
Typis Georgij Bishop.

Anno salutis humanæ
M.D.LXXXVII.

AVSPICANTE·DEO

HONORATISSIMO viro, Domino FRANCISCO WALSINGHAMO, Equiti aurato, Maiestatis Regiæ Secretario primo, ac Ducatus Lancastrensis Cancellario.

AB eo vsq; tempore, (honoratißime vir) quo de sacrorum librorum translatione iudicare posse cœpi, hoc semper meum iudicium fuit; si perfecta quæratur, eam non paucorum, nedum vnius alicuius hominis (quantumuis magni & excellentis) opus esse. Etenim si vnus aliquis tanto oneri fuisset par: Non Hieronymus solùm nihil omisisset quod

ſequentes ætates deſiderarent, ſed multi etiam alij præſtantes viri, qui totis ſuis viribus in eam rem incubuerunt, eccleſiæ Chriſti feciſſent ſatis. Iam verò ita eſt, neminem hactenus repertum eſſe, qui diuinarum literarum mentem tam plenè puréq; enucleauit, quin adhuc earum plenior & abſolutior interpretatio requiratur. Ob eam cauſam id contigiſſe crediderim, quòd quæ res multorum, adeóq; (ſi fieri poſſet) omnium doctorum coniunctas operas poſtulauit, in ea vel ſinguli, vel nimis pauci elaborauerunt. Neque tamen hoc à me dictum eſt cuiuſquam eorum reprehendendi cauſa qui ſacram ſcripturam ex lingua primæua traduxerunt: Etenim neminem eſſe ex illis puto, qui non optimè de eccleſia meruerit, cuíq; non magna laus tribuenda ſit. Primùm enim omnes hoc ſibi propoſitum habuerunt, vt Chriſtianæ eccleſiæ laboribus ſuis prodeſſent: Deinde,

de, nullus profecto ex illis inuenietur, qui non aliquid saltem ad clariorem verbi diuini intelligentiam attulerit, ac suam quasi symbolam pleniori illius interpretationi non contulerit. Septuaginta interpretes qui vocantur, vt antiquitate, ita vera germanæ sententiæ declaratione quandóque sequentes omnes antecedunt: Hieronymus interdum reliquis ab eo dissentientibus melior est: Est vbi Lutherus palmam habet: Est vbi Caluinus: Sua Castalioni nonnunquam laus est: Tremellio & Iunio qui multa deberi negat, næ ille, aut iudicij expers videtur, aut inuidus. Idem de Pagnino, Munstero, Isidoro Clario, Vatablo, Leoiudæ, Mercero iudico: scilicet vnumquemq; eorum quod priores lateret aliquid vidisse. Quamobrem, siue illorum voluntates & pia vota spectemus; magna laude digni sunt, quòd communi totius ecclesiæ bono studuerint:

ſtuduerint: ſiue ipſum tam ſancti laboris fructum intueamur; maximæ illis gratiæ haberi debent, quòd ſudore ſuo ſacræ interpretationis opus tantum promouerint. Hoc ſolum optauerim, cùm magna inter eos diſſenſio ſit, nec vllus eorum vnus verſionem ediderit, quæ non ſuas maculas habeat, ac errorum quaſi zizania inter puræ veritatis triticum: vt plurimi tandem periti artifices, ad eam omnibus ſuis numeris abſoluendam, labores ſuos iungant. Nam tum demum ab omni parte beatam fore arbitror, ſi multorum collatis cum ſumma diligentia ſtudijs, ex puris primarum linguarum fontibus, in opem etiam adductis præcedentium interpretum riuulis, deriuata fuerit. Vt verò cum eo qui optandus eſt ſucceſſu linguarum periti huc ſuos animos adiungant, ſummorum principum, ac magnorum procerum, ad eos deligendos & conuocandos, authori-

authoritatem accedere neceſſe eſt: Eorum enim maxima ex parte hoc opus eſt. Ad quod ſi illius gloria, magnitudo & excellentia eos extimulare poſſit: eſt (vt alicubi Bibliander affirmat) non ſolùm templo Salomonis præſtantius, ſed omnibus alijs operibus maius, quæcunque vel potentiſſimi populi, vel magnificentiſſimi reges conſtruxerunt. Ego verò quæ huius tantæ rei ſpes ſit, haud ſatis ſcio. Verùm interea vniuſcuiuſq; officium eſſe ſtatuo, ſacræ verſioni expoliendæ, & diuinis eloquijs intelligendis, quodcunque poſſit adiumenti ſuppeditare. Suppeditauerit autem plurimùm, qui in tanta opinionum varietate, tenebris diſcutiendis, falſis refellendis, dijudicandis ac probandis veris lucem attulerit. Quapropter, cùm poſt multam operam in Hebrææ linguæ ſtudio collocatam, quod eò pertineret nonnihil obſeruaſſe viderer: decreui pro conceſſa

ceſſa mihi à Domino ſcientiæ menſura, his in rebus quam potero opellam ſtudioſis dare. Illius verò ſpecimen in quinque ex minoribus prophetis explicandis præbui. Ac primùm quidem quod ad eorum tranſlationem attinet, maxima ex parte Tremellianam retinui. Veruntamen vt Poeta ait,

Nullius addictus iurare in verba magiſtri.

Non ita me ei aſtrinxi, quin propoſito Hebræo exemplari, liberè quandóq; vel meo ipſius iudicio vterer, vel alterius alicuius ſententiam ſequerer, prout quæq; primæ veritati aptior viſa eſt. Deinde etiam annotationes adieci, leuiores illas quidem multorum opinione: (eſt enim hoc explicationis genus fere Grammaticum, quod à plurimis contemni ſolet) ſed quas mihi perſuaſi ad veram multorum locorum intelligentiam vtiles fore. Quod quidem ſæpe aliâs quoque contingit: vt

quæ

quæ viliora ſunt ac parui æſtimantur, vſum maximè neceſſarium habeant. Hieronymus in ſuo galeato principio, de interpretatione ſua loquens, In templo Dei, inquit, vnuſquiſq; offert quod poteſt. Alij aurum, argentum, & lapides precioſos: alij byſſum, & purpurã, & coccum offerũt, & hyacinthum: Nobiſcũ bene agitur, ſi obtulerimus pelles & caprarum pilos: Et tamẽ apoſtolus cõtemptibiliora noſtra magis neceſſaria iudicat. Vnde & illa tabernaculi pulchritudo, & per ſingulas ſpecies eccleſiæ præſentis futuræq; diſtinctio, pellibus tegitur & cilicijs: ardorémq; ſolis & iniuriam imbriũ, ea quæ viliora ſunt prohibẽt. Hæc ille. Quæ ſane me multùm confirmauerunt, vt vel leuiculũ iſtud interpretationis quaſi cilicium, in eccleſiæ vſum offerre auderem: atq; ſperarem illud ſacrarum literarum ſtudioſis profuturum eſſe. Quod ſi ita eſſe reipſa tandem comperero:

perero : ſtimulo mihi erit, volente Deo, quo prouocatus, alacriùs ad eundem modum pergam. Quid me ad iſtas lucubrationes in lucem emittendas adduxit, vides ampliſſime vir : Vt verò eas tuo nomini dicarem & inſcriberem, quæ me mouerent multa erant. Tantum enim tuum eſt Euangelicæ veritatis ſtudium, ea cura religionis, is erga literas amor, ea in literatos benignitas; vt vel hijs nominibus dignißimus viderere, cui ſe literæ hoc genus officij debere teſtarentur . Atque hæ quidem cauſæ mihi cum alijs communes ſunt. Alia eſt quæ me propiùs attingebat, atque hûc potißimum impellebat : nimirum ſingularis tua erga me beneficentia . Cui enim potiùs quàm tibi, quibuſcunq; officijs potero, me obſeruantiam debere profitear, qui optimè de me meritus es, & perliberali penſione meis rebus conſuluiſti ? Cui potiùs quàm tibi literarium munus à

me

me consecrari oportuit, cuius benignitate hijs ipsis studijs, ac literis meis melius est? Te igitur oro, honorande vir, vt pro tua quàm plurimis nota humanitate, hoc qualecunque ἀχαριστίας erga te meæ monumentum boni consulas. Quod si (vt spero) feceris: priorem illam tuam erga me beneuolentiam maximum incrementum cepisse putauero, quo tibi adhuc sim factus deuinctior. Deum optimum precor, vt te suis optimis donis abundè cumulatum, diutissimè ecclesiæ suæ, nostræq; reipublicæ incolumem seruet. Vale. Cantabrigiæ quinto idus Ianuarij. Anno Christi.

1587.

Honori tuo addictissimus,

Eduardus Liuelenu.

Eduardus Liueleus

pio Lectori. S. D.

IRenæus in fine commentarij περὶ τῶν ὀγδοάδων, quanto desiderio flagrauit, vt liber ille quàm emẽdatiſſimus in manus hominum veniret, hac adiuratione declarauit. Adiuro te qui tranſcribis librum iſtum, per Dominum Ieſum Chriſtum, & glorioſum eius aduentum, quo iudicaturus eſt viuos & mortuos, vt conferas poſtquam tranſcripſeris, & emendes illum ad exemplar vnde ſcripſiſti, diligentiſſimè: hanc quoque obteſtationem ſimiliter transferas, vt inueniſti in exemplari. Mihi verò (Chriſtiane lector) non minori curæ fuit,

fuit, vt hunc libellum quàm minimè deprauatum legeres. Itaque te non adiuro quidem, verùm profecto vehementer etiam atque etiam rogo, vt si illum lectione tua dignum existimes, quam ego absens ei emaculando opem ferre non potui, tu præstes: ac pauca quædam errata à me hîc paulò infrà ostensa, priusquam legas corrigas. Id mihi gratum: tibi non inutile fuerit. Tantum est. *Vale.*

Errata corrigenda.

Folio 1. facie 1. linea 10. pro id eſt, lege i. vel abi. fol. 2. b. lin. 31. נשא fol. 5. b. lin. 5 lege domui. f. 8. a. l. 19. amoue ישובו במחרת ad initium ſententiæ. fol. 13. a. lin. 3. עושה גדולות ונפלאות. b l. 1. גאון ישראל f. 19. a. l. 33. גם׳כי תרבץ. f. 29. a. l. vlt. rependet. f. 30. b. l. 13. lege eiuſdem ibi, &c. f. 32. a. l. 5. מקומות חררים 16. poſt vocalis, deeſt cum dageſh. facie 2. illius folij lin. 8. lege אים איפרא חבמיד 10. אית איפא פיד. f. 35. ſed in ruptura. f. 36. b. lin. 15. *Hanetons*. f. 44. b. lin. 20. lege לפאה עמק יהושפט. f. 46. b. 17. excindámq;. f. 47. a. l. 20. dele filiorum. f. 48. b. 18. Aſher. 51. b. 21. & 24. ceperit. f. 56. a. 16. conſumat. f. 59. a. 10. amoue ושש à fine ad initium ſententiæ. f. 63. b. 2. ſignificat.

Oseæ versio annotationibus quibusdam illustrata.

Caput primum.

VErbum Iehouæ quod fuit ad Oseam filium Beeri, diebus Vzziæ, Iothami, Achazi, Esechiæ, regum Iudæ, & diebus Ieroboami filij Ioashi regis Israelis.

2 ‖ Principium loquutionis Iehouæ per Oseam: Dixit verò Iehoua ad Oseam, ~~id est,~~ Accipe tibi vxorem scortationum & ‖ natos scortationum, quia omnino scortatur terra ‖ auersata Iehouam. 1. vel abi.

3 Itaq; iuit & ‖ accepit Gomeram filiam Diblaimi: quæ concepit, & peperit ei filium.

4 Tunc dixit Iehoua ei, Voca nomen eius ‖ Iezrahelem: quia adhuc paulisper, & animaduertam cruores Iezrahelis in domum Iehu, & abolebo regnum domus Israelis.

5 Eritq; illo die, vt frangam arcum Israelis ‖ in valle Iezrahelis.

6 Deinde concipiens iterum peperit filiam, dixitq; [Iehoua] ipsi, Voca nomen eius Lo-ruchamam: nam non pergam amplius misereri domus Israelis vt omnino condonem illis.

7 Domus autem Iudæ miserebor, seruabóq; eos

per Iehouam Deum ipſorum: ac non ſeruabo eos arcu, gladióue, aut bello, equis, aut equitibus.

8 Cúmq; à lacte depuliſſet Lo-ruchamam, rurſus concepit peperítq; filium.

9 Et dixit [Iehoua,] voca nomẽ eius Lo-ammin, quia vos non eſtis populus meus, nec ego ‖ veſter ero.

10 Erit ‖ tamen numerus Iſraelitarum par arenæ maris, quæ neque menſurari neque ‖ numerari poteſt: Erítq; vt in ‖ loco vbi dictum fuerit eis, Non populus meus vos, ‖ dicantur filij Dei viuentis.

11 Et congregantes ſe Iudæi & Iſraelitæ vnà, præponent ſibi ‖ caput vnum, & ‖ aſcendent è terra, quia magnus erit ‖ dies Iezrahelis.

12 Dicite fratribus veſtris, ô populo mi, & ‖ ſororibus veſtris, ô miſericordiam conſequuta.

ANNOTATIO.

2 *Principium loquutionis Iehouæ per Oſeam.*] Superiore verſu generalis in vniuerſam hanc prophetiam inſcriptio continetur, illius authorem, miniſtrum, & tempus exponens. Hic verò alia quædam ὑπόμνημα eſt, ſpecialiùs declarans quid primùm Deus prophetæ ſui miniſterio loquutus ſit.

Et natos ſcortationum.] Hoc eſt, ſpurios & adulterinos, vt capite 2. verſu 3. Filiorum eius non miſerebor, quia filij ſcortationum ſunt, id eſt, ſpurij ex ſcortatione geniti, vt loquitur Iohannes 8. 41. Quòd verò iubetur vxorem & natos ſcortationum accipere, non ita intelligendum videtur quaſi vnà cum matre accipiendi forent. Sed pluribus, ni fallor, tribuitur quod vnius proprium erat. Accipíq; liberi dicuntur, qui ſcortantem matrem acceptam cui propriè id verbum quadrat, poſtea ſequuti ſunt, ex ea geniti. Qua ferè ratione vltimo verſu primi capitis Ruthæ, Noemi & Rutha

tha ex agro Moabitarum redijſſe dicuntur, & ſexto verſu capitis ſecundi Rutha cum Noemi: Nam ſola Noemi reuera redijt, Rutha verò eam redeuntem tantùm comitata fuit. Nec diſſimile videtur quòd Chriſtus Mathæi 21.5. dicitur inſediſſe aſinæ ac pullo eius. Neq; enim vtríque inſedit, ſed pullo vehebatur ſequente illius matre. Huius autem mandati ratio illis verbis explicatur, Quia ſcortatur terra. Hoc ergo facere iubetur in ſignum & argumentum ſcortationis Iſraelitarum, id eſt, impiæ eorum defectionis à Deo ad idola. Deus enim marito, eccleſia eius vxori comparatur, hîc capite 2.1, ac 15. verſibus. Item Ierem. 3. verſ. 1, 8, 20. Deniq; Eſechielis, 16.8. Hinc zelotypia Deo tribuitur, Exodi 20.4.

Auerſata Iehouam.] Ad verbum dicitur, à poſt Iehouam. Nam vt fidelis vxor maritũ ſuum ſolum: ita ſcortum alios amatores ſectari ſolet. Vnde illud eſt tam tritũ in ſacris literis, ſcortari poſt idola. vide Exo. 34.15. & hîc cap. 2.4, 12.

2 *Accepit.*] Quidam hoc ita à propheta reuera factum fuiſſe exiſtimauerunt. Quorum ego ſententiam vt pro certa confirmare nolim: ita eam quaſi abſurdam aut impiam damnare non auſim. Quod enim obijcitur contra legem diuinam & bonos mores hoc fieri, ſi doctor eccleſiæ meretricem ducat: tum verum eſt, ſi libidine ſua id fecerit, iniuſſu Dei, quorũ neutrum in Oſea fuiſſe omnes intelligebant. Deo autẽ iubente licita & honeſta fiunt, quæ alioquí iniuſta & abſurda vìderi poſſunt, vt grauis percuſſio prophetam vulnerans, 1. Reg. 20. 37. iniuſta cenſeri nõ debet. Nec laceratio nouę veſtis Ieroboami, 1. Reg. 11. Neq; Abrahamus qui Dei iuſſu filium ſuũ iugulare & immolare conatus eſt, ne ſi id quidem perfeciſſet, iuſtam reprehenſionem incurreret. Deniq; Iſraelitis, quòd Deo præcipiente AEgyptios ſpoliarent, vitio nõ vertitur. Omitto Eſaiam nudum & diſcalceatũ, capite 20. Ieremiam cum ligneo iugo, capite 28. Eſechielem depictam in latere Ieroſolymam obſidentem, capite 4. pueriliter & ridiculè, niſi Deus iuſſiſſet. Verùm ita eſt, huiuſmodi typos & ſacramenta, cum in ipſius populi conſpectu exhibentur, maiorem vim permo-

uendi habere. Huc accedit doctissimi viri Iohannis Merceri authoritas, qui in suis ad hunc locum commentarijs ita scribit. Hæc sententia magis nobis placet vt reuera vxorem scortum duxerit,& ex ea liberos dubios procreârit. Nam quòd obijcitur,honestas esse oportere doctorum nuptias: Sanè non poterant non honestę esse,iubente Domino,qui id ita volebat,ad significandos Israelitarum mores. Denique aliorum interpretationes tam improbabiles videntur, vt earum nulla sit, cui maiorem quàm huic assensum præbere queam. Hebræi enim scoliastæ hæc omnia visione facta fuisse arbitrantur,cùm nulla omnino visionis mentio fiat. Nonnulli ita accipiunt ea verba, Assume tibi vxorem scortationum,&c.quasi hoc dicatur,Prophetato te similem esse homini qui assumpserit sibi vxorem & liberos huiusmodi. Alij verò hunc ex illis sensum eliciunt. Vxorem tuam hoc infami nomine ad populum traducas,vt dicas eam fœdum scortum esse, liberósq; quos ex ea gignes, spurios. Vt verò istas interpretationes simplices aut verisimiles putem,eò longiùs absum,quò diligentiùs prophetæ verba perpendo.

4 *Iezrahelem.*] Hoc nomine vocatus est hic primus Oseæ filius, in monumentum cædis à Iehu ibi factæ, 2. Regum 9.& 10. capitibus, & in signum cladis eodem in loco futuræ,quam versus quintus ostendit.

5 *In valle Iezrahelis.*] Præpositio ב etsi aliquando significat, propter: Tamen cùm nomini locum designanti præponitur,vt hîc,propriè valet, in. Itaq; æquum non est vt nouæ Tremellij versioni propter vallem,vetustior, receptior,probatior illa aliorum interpretatio cedat.

6 *Vt condonando condonem illis.*] Verbum Hebræum נשׂא sequente ל condonare significat, & בי interdum valet vt,Genes.38.15. quid dabis mihi בי תבא vt venias, Iud. 8.6. Estne manus Zebachi nunc in manu tua, בי נתן vt demus exercitui tuo panem? Valde igitur mihi probatur hîc iudicium Tremellij & Iunij, qui primi & soli (quòd sciam) hæc verba ita acceperunt. Sensus est, Deum misericordia non commotum fore, vt Israeli condonet

donet & parcat, quin eum perdat: cuiuſmodi comminatio eſt, Ierem. 13. 14. Nō miſerebor quin perdam, & Amoſ. 7. 8. Non pergam ampliùs condonare ei.

9 *Veſter.*] ſubaudi Deus. Mutua enim inter Deum & populum ſuum relatio eſt. Ieremiæ 11. 4. eritis mihi in populum, & ego vobis in Deum. Hîc in fine capitis ſequentis, dicam Lo-ammi, Populus meus es, & ipſe dicet, Deus mi. Talis correlatiui ellipſis eſt Eſechielis 16. 8. Veni tecum in fœdus, & fuiſti mea, ſubauditur vxor.

10 *Tamen.*] Videtur enim hoc dici ἐναντιωματικῶς: quomodo coniunctio iſta ו multis in locis vſurpatur, Ieremiæ 30. 7. Tempus anguſtiæ erit Iacobo והוא tamen ab ea liberabitur.

Numerari.] Arias Montanus hîc exiſtimat vtrúmque verbum numerandi & menſurandi non congruere arenæ: ſed illud ad ſtellas hoc ſenſu referendum eſſe, Vt arena maris immenſa eſt, & ſtellæ cæli innumeræ: ita Iſraelitarum infinita multitudo erit. Quod non eſt neceſſe. Nam & vtrúmq; verbum eiuſdem rei infinitati notandæ ſeruit. Theocritus eidul. 15. ὅσσος ὄχλος μύρμηκες ἀνήριθμοι χὠ ἄμετροι: Et arenæ ipſi non ſolùm menſura, ſed etiam numerus tribuitur: ídq; tàm in ſacris quàm prophanis literis. Ad Hebræos 11. 12. ἀνηρίθμητος vocatur. Gen. 32. 12. præ multitudine non poſſe numerari dicitur. Horat. 1. carminū, oda 28.

Te maris & terræ numeróq; carentis arenæ,
menſorem cohibent. Seneca in Medea,
Dum terra cælum media libratum fuerit,
numeríſq; arenis deerit.

In loco vbi] Hæc veterum interpretatio eſt, Hieronymi, Chaldæi paraphraſtæ, & Græcorum qui ſeptuaginta vocantur, quam etiam Apoſtolus ad Romanos 9. 26. retinuit ἐν τῷ τόπῳ ᾧ. At à Tremellio tanquam aliena & impropria reijcitur. Sic enim priore ſua Oſeæ enarratione ſcribit. Qui vertunt, In eo loco vbi &c. non expendunt quibus vocalibus Hebræa dictio ſcribatur. Si enim locum aliquem certum deſignaret, præfixam haberet notam emphaticam במקום: At formam habet hîc regiminis,

atq; diuersis notatur punctis. Ideo idem valet quod תחת ac vertendum est pro eo quod dicebatur. Hæc ille. Verùm tantùm abest, vt hæc quam vult Hebræarum vocum necessaria aut sola sententia sit, vt etiam illa altera quam improbat ijsdem verbis eadem forma regiminis occurrentibus, ab eodem authore tribuatur. Leuitici 4.24. iugulato illum במקום אשר in loco vbi holocaustum, &c Ieremiæ 22. 12. במקום אשר in loco quò eum deportauerunt morietur. Ezechielis 21.35. במקום אשר in loco vbi procreata fuisti. Vtraq; igitur saltem probabilis versio erit: si tamen exemplo aliquo hæc noua confirmari possit (Nam quod ad me attinet, nullum profecto memini) tum verisimilis habebitur. Interea illa quæ tot exemplis firmata est, mihi non verisimilis solùm, sed vera certáq; erit, præsertim cum veterum, vt antè declaraui, interpretum authoritate stabilita sit.

Dicantur filij.] Verbum è verbo, dicatur illis, Filij, cuiusmodi illud est Esaiæ 61.6. Sacerdotes Iehouæ vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis, id est, dicemini & 62. 6. ibidem, non dicetur tibi derelicta, pro non dicêris: & apud eundem, capite 1.26. Vocabitur tibi ciuitas iusticiæ, hoc est, vocaberis. Hinc apparet versionem illam κληθήσονται υἱοὶ, quam apostolus ad Romanos 9.26. sequutus est, probam esse.

11 *Caput vnum.*] Hoc est, Principem, Dominum, Regem, nempe Christum, qui caput ecclesiæ constitutus est, ad Ephes. 1.22. & 5.23. Quod hîc dicitur, rectè declarat Ezechiel 37.22,24.

Ascendent è terra.] Scilicet captiuitatis & seruitutis suæ, de qua Iere. 23.8. Viuit Iehoua, qui eduxit semẽ domus Israelis è terra aquilonis, &c. Spiritualis enim in Christo liberatio hîc intelligitur. Verbum autem ascendendi euasionem notat, vt Exodi 1.9. ne se iungens inimicis nostris, contra nos pugnet & ascendat è terra. Atque in eo loco Ieremiæ ad verbum habetur, Viuit Iehoua qui ascendere fecit, id est, eduxit, liberauit.

Dies Iezrahelis.] Tribus illis malis antè triplici fœtu figuratis,

guratis, triplex solatium opponit, vt capite 2. versibus 22, 23. Iezrahelis dies magnus erit, populúsq; Dei vocabitur qui ab eo abdicatus fuerat Lo-ammi dictus, & non consequuta misericordiam, misericordiam consequetur.

Itaque diem Iezrahelis, contra quam multi opinantur, tempus salutis & gratiæ, ac liberationis ecclesiæ vocari puto, vt Lucæ 19. 42. Si nosses vel hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent, Psal. 81. 16. Erit tempus eorum æternum, & Esaiæ 33. 6. Firmitas erit temporis tui. Magnus autem dicitur, propter magnam Dei potentiam in suorum salute & hostium ecclesiæ exitio exerendam. Rectè Mercerus ad hunc locum diem magnum dicit referri non solùm ad diem iudicij, sed totum tempus gratiæ.

12 *Sororibus vestris.*] Hoc est, sororum vestrarum vnamquámq; dilectam, vel misericordiam consequutam appellaueritis.

Caput 2.

LItigate cum matre vestra, litigate, quia nec ipsa vxor mea est, nec ego vir eius sum: vt amoueat scortationes suas à conspectu suo, & adulteria sua è medio vberum suorum.

2 *Ne † eam despõliatam denudem, & statuam eam ‖ vt die quo nata fuit, ‖ reddámq; eam velut desertum, & redigam eam velut in terram siticulosam, & extinguam eam siti.*

† Heb. Ne exuam vel spoliem eam nudam, id est, exutam denudem, vel spoliando nudam faciam.

3 *Et filiorum eius non miserear, eò quòd filij scortationum sint.*

4 *Nam scortatur mater ipsorum, scelus pudendum committit genetrix ipsorum: quia dicit, prosequar amatores meos dantes cibum meum, & aquas*

meas, lanam meam, ac linum meum, oleum meum, & potiones meas.

5 Idcirco ecce, ego obsepiam viam tuam spinis, & maceriam obstruam, vt semitas suas nõ inueniat.

6 Et sectata amatores suos non assequetur eos, & quærens eos non inueniet: tandémq; dicet, abiens reuertar ad virum meum priorem: nam meliùs mihi tum erat quàm nunc.

7 Etenim ipsa non agnoscit me sibi dedisse frumentum, & mustum, & oleum: etiam argentum copiosè suppeditasse, & aurũ quod in ‖ Baalem fecerunt.

8 Idcirco ‖ recipiam frumentum meum tempore suo, & mustum meum tempestate sua, eripiámq; lanam meam, & linum meum, ad tegendum ipsius nuditatem [data.]

9 Nunc verò retegam fœditatem eius oculis amatorum suorum: neque quisquam eripiet eam è manu mea.

10 Et abolebo omne ‖ gaudium eius, ‖ festum eius, ‖ nouilunium eius, & sabbatum eius, deniq; omnem solennitatem eius.

11 Et desolabo vites eius & ficus eius, de quibus dicit, ‖ Merces hæ mihi sunt, quam mihi amatores mei dederũt: redigámq; eas in syluam, & comedent eas bestiæ agri.

12 Ita animaduertam in eam dies Baalum quibus ‖ adoleuit: & ornans se inaure sua & monili suo, amatores suos sequuta est, mei verò oblita est, dicit Iehoua.

13 Propterea ecce ego pellecturus sum eam, eámque

que in desertum deducam, atq; ad ‖ cor illius loquar.

14 Et dabo ei vineas suas ‖ inde, & vallem Achoris in ianuam spei: ‖ recinétq; ibi vt diebus pueritiæ suæ, atq; vt quo die ascendit è terra Ægypti.

15 Erítq; die illo ait Iehoua, vt me ‖ voces, [dicens] mi vir: neque amplius me † vocans dixeris, mi Baal.

† Heb. Voca-ueris me, mi Baal.

16 Nomina verò Baalum ab ore eius ‖ amouebo: neque deinceps nomine suo commemorabuntur.

17 Et ‖ pangam pro illis fœdus cum bestijs agri, & cum auibus cæli, reptilibúsq; terræ: & arcum gladiúmq; ac bellum confringens è terra, faciam vt securè cubent.

18 Et desponsabo te mihi in seculum, desponsabo te, inquam, mihi ‖ iusticia, iudicióq; & benignitate, ac misericordia.

19 Desponsabo te mihi fide, & Iehouam cognosces.

20 Erit etiam die illo vt exaudiam dicit Iehoua, exaudiam cælos, & ipsi ‖ exaudiant terram.

21 Et terra exaudiat frumentum, & mustum, & oleum, & ista exaudiant Iezrahelem.

22 Nam ‖ conseram eam mihi in terra, & miserebor Lo-ruchamæ, & dicam Lo-ammi, Populus meus es, & ipse dicet, Deus mi.

ANNOTATIO.

2 *Vt die.*] Id est, nudam, sordidam, miseram. Vide Ezechielis 16.4.

Reddámq; &c.] Hoc est, eam meis donis & gratijs priuem, vt eorum defectu pereat. Allegoria. Sitis & siccitas bonorum

bonorum inopiam notat : vt contraria ratione gratiæ diuinæ aquis comparari ſolent. Vide Eſaiam 55. 1. Iohan. 4.14. ac 7.38.ibid.

7 *Quod in Baalem fecerunt.*] Sic 2.Chronicorum 24. 7. res Domini Iehouæ conſecratas fecerunt in Baales. Vide hîc cap.8.4.

8 *Recipiam.*] Vnicum hoc verbum Latinum vim duorum illorum, reuertar,& capiam,rectè declarat,vt Geneſ. 26.18. reuerſus fuerat & foderat,nihil aliud eſt quàm refoderat,vel rurſus foderat.Hebraiſmus tritus.

10 *Gaudium eius.*] Dies feſtos cum lætitia & gaudio celebrauerunt, Deut. 16. 14. Qui propterea dies lætitiæ vocantur,Numerorum 10.10. Hinc tubarum clangor, inſtrumentorum muſicorum ſtrepitus, & canticorum ſonus in templo Dei, Numer. 10.10. Amoſi 5. 23. & 8. 10. ſacra hæc gaudia hîc intelligenda ſunt.

Feſtum eius.] Tria illa maiora anniuerſaria feſta quibus mares coram Iehoua comparebant,azymorum, hebdomadarum,& tabernaculorum חגים Hebræi vocant.

Nouilunium eius.] Primus dies cuiuſq; menſis ſacer & feſtiuus erat, non minùs quàm primus hebdomadæ qui ſabbatum dicitur, vt Numerorum 10. 10. & eiuſdem libri 28.11. paret. Solennitatis verò nomine alias quaſcunque ſtatas ferias contineri puto,quales erant dies clangoris,& dies expiationis,Leuitici 23.24,27. Perfectum autem hoc erat tempore captiuitatis ipſorum ſub Aſſyrijs, vt infrà nos docent verſus 4.& 5.capitis 9.

11 *Merces.*] Vox Hebræa אתנה propriè mercedem meretriciam notat. Quam huic loco rectè quadrare amatorũ mentio arguit. Scortis enim ab amatoribus merces reddi ſolet, Eſechielis 16.34.

12 *Adoleuit.*] Tremellius cum Iunio verterunt,ſuffitum facit. Sed verbum חקטיר adolere ſignificat non ſuffimentum ſolùm, ſed quoduis ſacrificium, Leuitic. 1. 9. וחקטיר & adolebit totum holocauſtum .Ibidem cap. 3.15. renes & adipem, & reticulum ſuper iecur cum renibus auferto & adoleto ea ſacerdos: וחקטירם

13 *Pellecturus*

13 *Pellecturus sum eam.*] Locus consolationis est, quo post maximam eorum afflictionem Deum eos liberaturum esse ostendit, similitudine sumpta à liberatione veteris ecclesiæ à seruitute AEgyptiaca. Primùm enim opera Mosis & Aaronis populo suo persuasit vt AEgyptum relinqueret, & aliò se ad colendum Deum conferret. Exodi 4. 30,31. & ibid. 14. 15. Postea duxit in desertum. Inde tandem ad vallem Achoris in ipsius terræ promissæ possessionem. Cum hæc omnia se iterum facturum pollicetur, perinde est ac si dicat, alteram populi liberationem, & in optimorum bonorum possessionem adductionem fore. Allegoria est. Qualis illa in eclogis Vergilij.

Alter erit tum Typhis, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella.
Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Esaias 11. 16. liberationem populi eadem similitudine declarat. Siccabit Iehoua linguam maris AEgyptij, & erit agger populo qualis olim Israeli fuit cum ascendit ex AEgypto. Pellicere verò hîc nihil est aliud, quàm per prædicationem euangelij persuadere. Nam spiritualis hîc liberatio figuratur.

Ad cor illius loquar.] Idem hoc valet ac si dicas, eam consolabor, vt Esaiæ 40. 2. Consolamini populũ meum, loquimini ad cor Ierosolymæ. Hinc pro παρακυθούμενοι consolantes, 1. ad Thess. 2. 11. in Syriaco testamento dicitur מלין על לב loquentes ad cor. Ratio autem huius loquutionis est, quia quos solamur, eos grato sermone alloquimur. Vnde factum, vt Latinè alloqui dicatur pro consolari. Varro lib. 5. de lingua Latina. Alloquutum mulieres ire aiunt, cum eunt ad aliquam loquutum consolandi causa. Ouidius 1. Tristium. eleg. 7.

Quid fuit ingenti prostratum mole sodalem
Visere? & alloquij parte leuare tui?

Idem igitur Hebræis est ad vel secundum cor loqui, quod Latinis alloqui, cui Græcum παρακυθέομαι consonat, à παρὲ ad, & μυθέομαι loquor. Itaq; Castalio non malè hunc Hebraismum hijs verbis interpretatur, benignè alloquar.

14 *Inde.*]

14 *Inde.*] מִשָּׁם Hebræis tàm temporis quàm loci aduerbium eſt, vt Latinis hominibus Inde. Ita vel ab eo loco, vel ab eo tempore ſignificare poteſt. Ex quo intelligitur Tremellianam verſionem, inde ab eo loco, probandam non eſſe. Nam neque de loco accipi neceſſe eſt, & ſi neceſſe eſſet, vnica illa dictio, Inde, ſatis plenè eam notionem verbum è verbo redderet.

Recinétq; ibi.] In vineis ſuis, ni fallor. Vindemiantes enim id primis illis naſcentis eccleſiæ temporibus factitare ſolitos eſſe docuerit nos verſus 27. capitis 9. Iudicum. Vbi vindemiatores in vineis ſuis vuas calcantes laudatiua ceciniſſe dicuntur. Illúmque morem diu poſtea durauiſſe ex Eſaiæ verbis, cap. 16. 10. didicerimus. In vineis nõ cantabitur: auferetur ex aruis exultatio. Verbum autem עָנָה alternum canere ſignificat, & viciſſim cantando reſpondere. Ad quam notionem recino à Caſtalione hic vſurpatum, propiùs accedere videtur quàm cano. Nam re in cõpoſitione quandóq; viciſſitudinem notat.

15 *Me voces.*] Senſus eſt, cùm me alloquuta fueris, iſta appellatione vtêris, mi vir, nec me ampliùs Baal, i. maritũ appellaueris. Non quòd hoc nomen per ſe illicitum eſſet: Idem enim notat mi Baal, id eſt, mi marite, quod, mi vir. Præterea Deus eccleſiæ ſuæ quaſi maritus eſt, Eſaiæ 54. 5. & 62. 5. & huius capitis verſu. 1. Quare igitur deinceps eo vti prohibentur? Certè propter illius communicationem cum idolis, vt Tremellius annotauit. Idola enim בְּעָלִים hoc eſt, maritos appellauerunt, vt alia nomina Dei ipſis tribuerunt, Deos etiam & reges illa vocitantes. Simili ratione Ieremiæ 23. 36. vſum nominis מַשָּׂא alioqui honeſti, prophetis interdixit, cùm in populi contemptum veniſſet.

16 *Amouebo.*] In renouatione eccleſiæ idololatria abolebitur. Micheæ 5. 13. Zachariæ 13. 2.

17 *Pangam pro ipſis.*] Efficiam vt fœdus pacis inter eos & beſtias ſit. Eſechielis 34. 25. Eſaiæ 11. 6. hoc pleniùs declaratur.

18 *Iuſticia.*] Iuſticia & iudicium ſinceritatem & integritatem

gritatem cordis notant, qua bona fide sine dolo agitur. Benignitas verò & misericordia, amorem ac promptam beneuolentiam. Deniq; fides, amoris constantiam & firmitatem. Quæ omnia ad perpetuam inuiolati fœderis durationem necessaria Deus quidem pro parte sua in priore fœdere præstitit, populus verò perfidè defecit. Hic igitur in nouo fœdere deinceps fidē vtrinq; seruatam fore ostendit, ne vnquam violetur. Vide Ieremiæ 31. 32.

20 *Exaudiant terram.*] Terra enim quasi petere & rogare pluuiam cæli videtur, cùm propter siccitatem ea opus habet. Tibullus lib. 1. eleg. 7. sic Nilum alloquitur.

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.

22 *Conseram eam.*] Ad ecclesiæ multiplicationem hoc pertinet, vt Ieremiæ 31. 27. conseram domum Israelis & domum Iudæ semine hominum & semine iumentorum. Hoc est, quasi sementem multiplicabo.

Caput 3.

DEinde dixit Iehoua mihi, Iterum abi, ama ‖ mulierem, amatam ab ‖ amico, & adulterantem: vt amat Iehoua Israelitas, cum ipsi respiciant ad Deos alienos, & ament ‖ lagenas vini.

2 *Itaque emi eam mihi quindecim siclis argenti & ‖ sesquicoro hordei.*

3 *Dixíque ei, Diebus multis ‖ manseris me, ne fueris scortata, neque nupseris cuiquam: atque ego etiam te* [*manebo.*]

4 ‖ *Diebus enim multis manebunt Israelitæ sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, ac sine statua, deniq; sine amiculo & imaginibus.*

5 *Postea reuersi Israelitæ quærent Iehouam*

Deum

Deum ſuum,& ‖ Dauidem regem ſuum: & ‖ trepidabunt ad Iehouam & bonitatem eius vltimis temporibus.

ANNOTATIO.

1 *Mulierem.*] Non ductam adhuc,ſed deſponſatam tibi,quæ tibi poſtea nubat, verùm adulterio ſuo in longum tempus reiecta ſit. Sic Deus amat Iſraelitas quaſi ſponſam adulteram,& propterea diu neglectam, ſed tandem in vxorem accipiendam.Hoc igitur nouo typo confirmat,quod cap. 2. 15,19. dicebatur de eccleſia Deo deſponſanda, & tandem maritanda.

Ab amico.] Id eſt,alio aliquo amatore,vt Iere.3.1.Scortata es cum amicis multis.

Lagenas vuarum.]Hoc eſt,vini,quod ſanguis vuarũ dicitur,Deut.32.14.Metonymia eſt,vt apud Maronẽ Georg.1. *Poculaq; inuentis Acheloia miſcuit vuis.*

Horat. 1. car. *Prælo domitam Caleno*
tu bibes vuam. Iuuenalis ſatyra.5. *Calcatámq; tenet bellis ſocialibus vuam.*

Idololatræ in ſacrificijs ſuis conuiuari ſoliti ſunt, Iudicum 9.27.ingreſſi ædem dei ſui edebant ac bibebant. Amoſi 2.8. ſuper veſtes in pignus acceptas inclinant ſe iuxta omnia altaria, & vinũ damnatorum bibunt in domo deorum ſuorũ. 1.ad Cor.10. 21. non poteſtis poculũ Domini bibere,& poculum dæmoniorũ.Ad hunc morem exiſtimo referendũ quod dicit lagenas vini ab illis amari,quos proximis verbis idolorum cultui deditos eſſe oſtenderat.Alij aliter interpretantur racemos vuarum: quidã etiam placẽtas ex vuis lautiùs coctas intelligunt. Quarũ expoſitionũ neutra ab illis idololatricis quæ dixi conuiuijs abludit.

2 *Seſquicoro.*] Vox Caluini eſt in commentarijs ipſius,quam aptiſſimam eſſe iudicaui,quòd & corus eandem menſuram cum chomere notet; & dictio Latinis vſitatior ſit.Hieronymus ita reddit, Coro & dimidio cori, cui æquiualet,ſeſquicoro.

3 *Manſerii*

3 *Manseris me.*] Eoúsque tu innupta manseris, donec commodum mihi tempus fuerit, te mihi in vxorem accipiendi. Verbum è verbo est, sederis mihi. Sed sedendi verbum in hac syntaxi manere significat. Exodi 24.14. Sedete nobis hîc, i. manete vel expectate nos.

4 *Diebus multis.*] Vt sponsa prophetæ manere iubetur non solùm absque marito cui honestè nuberet, verumetiam sine amatore cum quo turpiter scortaretur, versu 3. Ita Israelitas mansuros significat sine vlla reipublicæ forma, siue recta, qua Deum ex legis præscripto piè colerent: siue praua, qua impiè contra legem cum idolis scortarentur. Statuæ enim & imagines, amiculum etiam, interdum ad superstitiosum idolorum cultum pertinebant. De statuis, vide 2. Reg. 17.10. De imaginibus & amiculo. Iud. 17.5.

5 *Trepidabunt.*] Tantundem hoc valet ac si dicas, trepidi festinabunt. Nam verba pauendi & trepidandi festinare & properare quandóq; significant. Hîc cap. 11.11. Trepidabunt quasi auis ex AEgypto. Aben Ezra quod hîc dicitur ita explicat במרוצה פתע פתאים ישובו במהרה redibunt festinanter, cursim, subitò in terram suam. Verbum Latinum etiam eandem significationem habere reperitur. Liuius annalium 23. *Móxq; dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa.* Vergilius AEneid. 9.

Ne trepidate meas Teucri defendere naues. Hoc est, ne festinate, ait Nonius Marcellus.

Dauidem.] Christum, vt Ezechielis. 34.24.

Caput 4.

AVdite verbum Iehouæ, ô Israelitæ, nam ‖ lis est Iehouæ cum habitatoribus terræ, quòd non sit fides, nec benignitas, nec cognitio Dei in terra.

2 ‖ *Iurare, & mentiri, & occidere, & furari, & adulterare* ‖ *inundant: cruoréq; cruores cõtingunt.*

3 *Propterea*

3 *Propterea lugebit terra, & languebit quicquid habitat in ea, tùm bestiæ agri, tùm aues cæli, quinetiam pisces maris tollentur.*

4 *Veruntamen quisquam ne contendito, neque arguito quisquam: nam populares tui* ‖ *similes sunt contendentibus cum sacerdote.*

5 *Itaq; corrues interdiu, corruétq; etiam prophéta tecum noctu, & excindam matrem tuam.*

6 *Excindentur populus meus eò quòd vacet scientia: quia tu scientiam sprenisti, spernam quoq; te ne sacerdotio fungaris mihi: quia oblitus es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum ego quoq;.*

7 *Prout aucti sunt, ita peccant in me: gloriam eorum in ignominiam commutabo.*

8 ‖ *Peccatum populi mei comedunt, & adiniquitatem eorum tollunt animum suum quisq;.*

9 *Quapropter erit, vt populus ita sacerdos: & animaduertam in eum vias eius, actiones q; eius rétribuam ei.*

10 *Nam comedentes non saturabuntur, scortantes non crescent: quia Iehouam desierunt* ‖ *obseruare.*

11 *Scortatio, vinúmque, & mustum* ‖ *aufermentem.*

12 *Populus meus* ‖ *lignum suum consulit, baculúsq; ei suus indicat, quia* ‖ *spiritus scortationum in errorẽ agit* [‖ *eos,*] *vt scortentur auersi* ‖ *à Deo suo.*

13 *In verticibus montium sacrificant, & in collibus adolent, sub quercu, populóq;, & robore, eò quòd* ‖ *bona sit vmbra eius: Idcirco scortabuntur filiæ*

vestræ,

veſtræ, nurúſq; veſtræ adulterabunt.

14 Non animaduertam in filias veſtras cum ſcortatæ fuerint, neque in ‖ nurus veſtras cum adulterauerint: quòd iſti cum ſcortis ‖ ſeparent ſe, & cum meretricibus ſacrificent, populúſq; non intelligens vapulabit.

15 Si tu Iſrael ſcortaris, ne delinquat Iuda: & ne accedatis Galgalem, neque aſcendatis Bethauenem, neque iuretis, Viuit Iehoua.

16 Nam vt iuuenca refractaria refractarius eſt Iſrael: nunc paſturus eſt eos Iehoua tanquam agnum in loco ſpatioſo.

17 Coniunctus eſt idolis Ephraim, ‖ ſine illum.

18 ‖ Receſſit merum eorum, continẽter ſcortantur, amant date, ignominia [ſunt] protectores eius.

19 ‖ Ligabit ventus illam alis ſuis, & propter ſacrificia ſua erubeſcent.

ANNOTATIO.

1 *Lis.*] Metaphora à foro, quo aduerſarij inter ſe litigant. Accuſatoris enim & aduerſarij perſonam hîc induit Deus, vt populum ſuum arguat & conuincat.

2 *Iurare.*] אלה propriè quidem execrari ſignificat, & per metonymiam iurare; quia iuſiurandum cum execratione iungi ſolet. Gen. 26. 28. ſit execratio inter nos, id eſt, iuramentum. Sunt autem hæc infinita, iurare, mentiri, &c. pro nominibus poſita, vt apud Latinos ſæpe.

Inundant.] Hieronymi, tempore tantùm mutato, hæc verſio eſt, inundauerũt. Quam ego valde probo: פרץ enim propriè rumpere, erumpere ſignificat. Per tranſlationem verò à fluuijs exundantibus, & ripas obiectas rumpentibus inundare, abundè creſcere, Gen. 28. 14 Exodi 1.

11. Prou.3.9. Innuit igitur hæc vitia passim admitti, summáque licentia perpetrari, vt tempus vindictæ diuinæ iam maturum sit. Tralatio ab aquis vel liquoribus exundantibus, vt Ioelis 3. exundant torcularia, quia malitia eorum multiplicata est.

4 *Similes.*] Populus reprehensionis impatiens cum illis iurgabat à quibus arguebatur. Tales erant de quibus queritur Ieremias 18. 19. Audi Iehoua vocem eorum qui mecum litigant Vide ibi cap.15.10. & Esechielis 3.26. & Amosi 2.12.

8 *Peccatum.*] Id est, oblationes pro peccato, vt Exodi 29.14. carnem iuuenci comburito extra castra: peccatum est. Metonymia.

Attollunt.] Hoc cupiunt vt populus sæpe delinquat, & hac ratione plurimæ illis victimæ suppetant vnde viuant. Nam attollere animam ad aliquid, est illud cupidè expectare, magnóq; illius desiderio teneri. Ierem. 22. 27. Ad terram illam non reuertentur ad quam attollunt animam suam vt eò redeant.

10 *Obseruare.*] Hoc est, colere, vt Zachariæ 11.11. Pauperes gregis qui me obseruant. Obseruasse dicitur, qui obseruat quid, cuiúsq; causa facere debeat. Itaque qui obseruat, coluisse dicitur, ait Festus Pompeius. Vergilius georg. 4.

Obseruant regem non sic AEgyptus & ingens
Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes.

11 *Aufert.*] Idem poeta attestatur.

Vt Venus eueruat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitátq; pedes.
Deniq; cum mentes hominum furiârit vterq;:
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.

Verbum autem לקח aliquando auferre & tollere significat. Esechielis 24.16. Ecce ego לוקח tollam à te, &c.

12 *Lignum suum.*] Lignum per metonymiam hîc dicitur lignea imago, vt Ierem.2.26. Dicunt ligno, pater meus es, & lapidi, tu peperisti me. Sic baculus vocatur simulachrum ex baculo seu stipite factum, vt Mercero placet: quod

quod mihi probabile videtur. Tibullus libro 1. eleg. 10.

Sed patrij ſeruate lares, coluiſtis & ijdem,
Curſarem veſtros cum tener ante pedes.
Nec pudeat priſco vos eſſe è ſtipite factos,
Sic veteris ſedes incoluiſtis aui.
Tunc meliùs tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.

Spiritus ſcortationum.] Vehemens libidinis feruor & affectus ita nominatur. Hebræi enim ſpiritus vocant animi concitati motus, quos Cicero affectiones, affectus, impetus, commotiones & perturbationes animi vocare ſolet. Hinc ſpiritus zelotypiæ, Numeri 5. 14. ſpiritus mendacij, 1. Regum 22. 23. Vertiginis vel peruerſitatum, Eſa. 19. 14. Soporis, ibid. 29. 10. Impuritatis, Zachariæ 13. 2. Erroris, 1. Ioh. 4. 6. Vocantur verò ſpiritus metonymicè, quia à malo ſpiritu proficiſcuntur.

Eos.] Huius accuſatiui ellipſis eſt in Hebræo textu, vt capite 2. 7. quæret eos & non inueniet, ſubaudi eos. Hieronymus rectè addidit.

A Deo.] מתחת à ſub Deo, ad verbum. Idem eſt quod cap. 1. 2. à poſt Deum, niſi quòd hîc ſubiectio notari videtur, à qua receſſerant.

13 *Bona vmbra eius.*] Eſt enim arbor denſa, & ob eam cauſam vmbroſa & opaca. Eſechiel. 6. 13. ſub omni quercu denſa. In reliquis etiam quæ hîc nominantur arboribus eadem cauſa fuiſſe videtur. Nam Eſech. 20. 28. dicit ſub omnibus denſis arboribus ſacrificari ſolitum eſſe. Talem eſſe populum illud arguit Horatij.

Quâ pinus ingens, albáq; populus
vmbram hoſpitalem conſociare amant
ramis.

14 *In nurus.*] Tremell. in ſponſas. כלה ſponſam & nurum denotat, ſed cum affixis ſponſam (quòd ſciam) nunquam. Quamobrem illa altera huius vocis notio veriſimilior viſa eſt, vt taceam quòd cum ea voce copulatur quæ filias notat. Filiabus enim ipſorum aptiùs cohærent filiorum vxores quàm ſponſæ eorũ. Cum verò dicit filias

& nurus ipsorum scortaturas & adulteraturas esse, idque impunè: mihi videtur non tàm voluntaria scortatio, quàm stuprum vi illatum intelligendũ esse, vt Amos 7.17. Propterea vxor tua in vrbe scortabitur, & liberi tui gladio cadent, & terra funiculo diuidetur : Scortari enim posuit pro per vim ab hostibus stuprari. Alij, iíq; sanè doctissimi viri, aliter exponunt. Vtra verò sententia verior, eruditi dijudicauerint. Hoc tantùm dixero, meum hoc fuisse iudicium antequam Theodoretum legerem: In eo autem confirmatior sum factus, postquam eum quoque ita hunc locum intellexisse cognouissem. Sic enim in hunc locum scripsit, Nullam de vobis curationem suscipiam, neque de filijs vestris, neque de sponsis propalàm adulteratis ab inuadentibus vos: Quæ obscurè & occultè à vobis intentata sunt, hæc palàm fieri permittã. Hoc enim ostendit cum dicit, quoniam ipsi cum meretricibus miscebantur.

Separent.] Suppleo se. Nam ellipsis accusatiui reciproci frequens est. 2. Regum 5. 10. Laua septies in Iordane, subintelligendum te. Chaldæus interpres idem sensit, ita reddens מסתיעין sociantes se. Deniq; conferatur illud cap 9. 10. le propudio separauerunt.

17 *Sine illum.*] Ne arguito eum quispiam, quin agat quod libeat. More patris loquitur, qui filium nequam qué corrigere non potest, in sua nequitia progredi iubet, animóq; suo obsequi, quasi curam illius omnem ex illo tempore abiecturus sit. Tales enim permissiones sæpe homines magis pungunt, quàm quæuis aliæ castigationes. Huiusmodi est illud Esechielis 20.39. Ite, colite stercoreos deos vestros.

18 *Recessit merum eorum.*] Interpretatio hæc Iohannis Drusij viri eruditi & linguarum periti est. Tum verò vinum recedere dicitur, ait ille in obseruationibus suis, cum in vappam resoluitur, & acescit, vt apud Ciceronem vinum eiusmodi fugiens appellatur, & Græcè ἐξιστηκὸς. Hæc ille, Qui mihi rectè iudicasse videtur. Nam סרך propriè cedere, recedere, discedere significat vt ἐξίσταμαι Græcè interdum, vnde οἶνος ἐξιστηκὼς & ἐξισάμενος dicitur, vinum cum

ætati

ætari cedens in vappam abit, vel vt Ciceronis verbum vsurpem, fugit, hoc est, deterius fit, interprete Nonio in fugere, vbi locum illum Ciceronis adducit ex officiorum 3. Si quis vinũ fugiens vendat sciens, debeat ne dicere, &c. Tremellius priore sua Oseæ enarratione eiusdem iudicij fuisse videtur: Ita enim reddidit, Vapescit merum eorum. Arguit igitur deprauatos Israelitarum mores sumpta metaphora à vino corrupto, vt Esa.1.22. Argentum tuum abijt in scorias, merum tuum aqua mistum est. Et Psalmo 14.3. Drusius existimat probabiliter eodem tropo dici, Vnusquisq; eorum recessit, vnà raucuerunt. Latini etiam eodem modo hominẽ ignauum & nequam vappam vocant.

19 *Ligabit.*] Hoc est, ligatam abripiet. Vide Psalmo 1. 4. Quod ad ligationem in alis attinet, eadem phrasis Ezechielis capite 5. versu 3. reperitur, paucos exceptos ligato in alis tuis.

Caput 5.

AVdite istud ô sacerdotes, & attendite ‖ domus Israelis, & domus regis auscultate, nam ad vos iudicium hoc [*pertinet:*] *quia velut laqueus fuistis in Mitspa, & rete expansum super Tabore.*

2 *Et iugulationẽ declinantes profundam ‖ fecerunt: Ego verò illis omnibus ‖ castigationi sum.*

3 *Ego noui Ephraimum, neque ‖ me latet Israel: Nunc enim scortaris ô Ephraim, & pollutus est Israel.*

4 *Non adhibent actiones suas vt reuertantur ad Deum suum: quia spiritus scortationum in eis est, nec Iehouam nouerunt.*

5 *Itaque testabitur ‖ gloria Israelis in faciem ipsius*

ſius, & Iſrael Ephraimq3 iniquitate ſua corruent, corruet etiam Iuda cum illis.

6 Cum ouibus & bobus ſuis ad quærendum Iehouam ibunt, ſed non inuenient [eum:] ſubtraxit ſe ab illis.

7 In Iehouam ‖ perfidè egerunt, quia filios extraneos ‖ pepererunt: Nunc conſumet eos menſis cum partibus eorum.

8 Clangite buccina Gabaæ, tuba Ramæ, vociferamini Bethauene, Poſt te Biniamin.

9 Ephraim deſolationi erit die correptionis, in tribubus Iſraelis ‖ certum oſtendi.

10 Fuerunt principes Iudæ ſimiles iis qui remouent terminum: ſuper eos effundam velut aquam excandeſcentiam meam.

11 Oppreſſus eſt Ephraim, quaſſatus iudicio: quia ‖ voluntariè vanitatem ſequutus eſt.

12 Ego verò quaſi tinea Ephraimo, & tanquam putredo domui Iudæ [fui.]

13 Vidit autem Ephraim morbum ſuum, & Iuda vlcus ſuum: Iuitq3 Ephraim ad Aſſyrium, miſitq3 ad regem ‖ Iarebi, ſed ipſe non poterit mederi vobis, neq3 vos ab vlcere curauerit.

14 Ego enim vt leo Ephraimo, & velut leunculus domui Iudæ: Ego, ego diſcerpam & abibo, tollam & nemo eripiet.

15 Abiens reuertar in locum meum, donec reos peragant ſe, & quærant faciem meam: Cum anguſtia fuerit ipſis, quærent me diluculo [dicentes.]

Caput

Caput 6.

AGite, reuertamur ad Iehouam, nam ipſe diſcerpſit, & curaturus eſt nos: percuſſit, & obligaturus eſt nos.

2 Vitæ reſtituet nos poſt ‖biduum, die tertio excitabit nos, & viuemus coram ipſo.

3 Et ‖ſciemus, perſequemur cognoſcere Iehouam, inſtar auroræ cuius exortus paratus eſt, aduenietq; vt imber nobis, quaſi ſera & matura pluuia terræ.

4 Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? Cùm benignitas veſtra tanquam nubes matutina ſit, & velut ros manè abiens.

5 Propterea ‖cæcîdi per prophetas, interfeci iſtos ſermonibus oris mei, & iudicia tua vt lux [quæ] oritur.

6 Quia benignitate delector, ‖non autem ſacrificio, & cognitione Dei magis quàm holocauſtis.

7 Ipſi verò ‖tanquam homines tranſgreſſi ſunt fœdus, ibi perfidè egerunt contra me.

8 Galaad ‖vrbs operantium iniquitatem, ‖fœdata ſanguine.

9 Ac more cateruarum præſtolantium aliquem, ſodalitium ſacerdotum via [qua] ‖Sichemũ [itur] occidunt, nam ſcelus faciunt.

10 In domo Iſraelis horrendum vidi: ibi ſcortatio Ephraimi eſt, pollutus eſt Iſrael.

11 Etiam Iuda ‖meſſem tibi ponet, cum populi mei captiuitatem ‖reduxero.

ANNOTATIO IN CAPVT 5.

1 *Domus Israelis.*] Singulos ordines hîc compellat propheta: Sacerdotes, ac domum regis, id est, regẽ cum principibus & aulicis. Deniq; hijs verbis Domus, Israelis, reliquum populũ, qui versu 3. nominibus Israelis & Ephraimi cõtinetur. Omnes enim ordines in hoc capite arguit.

2 *Profundam fecerunt.*] Verbum è verbo, iugulationem profundarunt, (vt ita dicã.) Quo, hoc vult propheta, eos in homicidio longiùs progressos esse, ac magnam siue profundam cædem fecisse. Sic Esaiæ 31.6. profundare apostasiam est summa apostasia Deum prouocare. Et hîc cap. 9. 9. profundare, corrumpere, est prosunda corruptione deprauari, i. maxima. Rectè enim profundi nomine rem immensam intelligi annotatum est in Pagninum ad radicem עמק. Simile illud Statij, Thebaidos 10. de Capaneo.

Iam sordent terrena viro, tædétq; profundæ
cædis, Hoc est magnæ: Plurimos enim occiderat. Quàm rectè autem profunda eorum in cædibus progressio hîc accusetur, ea verba cap. 4. 2. cruores cruores contingunt, facile ostenderint. Hinc versu antecedente laqueis aucupum componebantur, quòd vt illi auibus & feris capiendis tenduntur: ita isti sanguini insidiati sunt.

Omnibus castigationi sum.] Hoc mihi dici videtur, Omnes me redarguunt & corripiunt. Vide annotata ad 4. versum capitis 4. Similis est phrasis Lamentationum 3.13. Eram risui omnibus popularibus meis, id est, is quem deridebant. Quo modo etiam illa in Psalmis exponenda sunt, Probro sum inimicis: Ponis nos agitationem capitis gentibus: Exponis nos contentioni vicinis nostris.

3 *Neque me latet.*] Versio Castalionis est. Tremellius verò reddit, non est cælatus mihi. Quod propter ambiguitatem minùs placuit. Potest enim is intelligi cui aliquid indicatum non est.

5 *Gloria Israelis.*] Deus ipse contra populum suum in faciem testabitur. Metonymicè enim Deus Israelitarum gloria dicitur, propterea quòd in eo gloriabãtur, Amos. 8.7.

Iurauit

Jurauit Deus per gloriam Iacobi, hoc est seipsum. Aben Ezra in eum locum scribit, Deum glorioſum ita appellari. Tremellius etiam Nahumi 2. 2. ijsdem verbis ישראל גאון Deum dictum esse putat, eundémq; decus Israelis vocari, 2. Sam. 1. 19. Eodem tropo glorioſum Dei templū gloria Iacobi nominatur, Amoſi 6. 8. Si cui illa altera interpretatio magis placet, ſuperbia Israelis, (vtrumq; enim גאון notat, vel gloriam vel ſuperbiam) Eadem etiam eo modo constare sententia potest, vt Deus Israelitarum ſuperbia dicatur, quia in eo ſuperbiebant. Similiter Claudianus Proserpinam in libris de raptu illius, gloriam & ſuperbiam matris ſuæ vocat, quòd tali filia gloriaretur & ſuperbiret.

Quas inter Cereris proles nunc gloria matris, Lib. 2.
Mox dolor, æquali tendit per gramina paſſu.
O decus, ô requies, ô grata ſuperbia matris, Lib. 3.
Qua geſſi florente deam: qua ſoſpite nunquam
Inferior Iunone fui. Iam verò teſtari in eos Deus dicitur, quos punit vel caſtigat. Ruthæ 1. Cur vocaretis me Naomin, cum Iehoua ſit teſtificatus contra me, & me malis affecerit? Iobi 10. 17. renouas teſtes tuos contra me. Micheæ 1. 2. Erit Iehoua teſtis contra vos. Pœna igitur hîc denuntiatur, quam ſequentes voces declarant, corruent, &c.

7 *Perfidè egerunt.*] Perfidia, coniugalis fidei violatio intelligitur. Ierem. 3. 20. Vt perfidè agit vxor ab amico ſuo deſciſcens: Ita vos in me perfidè agitis, ait Iehoua. Quò pertinet quod ſequitur eos extraneos filios peperiſſe, id eſt ſpurios, qui filij ſcortationum dicuntur, cap. 2. Hîc enim populus Dei vxori adulteræ comparatur,

Pepererunt.] Tremellij verbum eſt: Quod aptiùs huic loco quadrat, quam aliorum, genuerūt. Nam & ילד propriè mulierum eſt, pareréq; ſignificat, & illa præcedens perfidæ vxoris ſimilitudo hanc notionem comprobat.

9 *Oſtendi certum.*] Vel rem certam & veram. Adiectiuum enim vel participium fœmininum abſolutè & ſubſtantiuè vſurpatur, quo modo apud Latinos Neutrum,

Iobi

Iobi 5.9. ונפלאות עושה גדולות faciens magnas & admirandas, i. magna & admirabilia.

11 *Quia voluit iuit post vanitatem.*] Verbum verbo, hoc est, voluntariè vanitatem sequutus est. Quin veritatem de suo loco deturbatam hîc restituerim nihil dubito. Verùm cum noua hæc interpretatio latina sit, plenior illius ratio reddenda est. Vocem igitur צר quam alij præceptum interpretantur, pro שוא positã esse existimo, quæ vanitatem significat: earum literarum permutatione, quæ inter se affines sunt & commutabiles. Hæ enim consonæ dentium, זסצש, quòd eodem organo proferantur, alternam inter se migrationem habere solent, vt verè Iarchius obseruauit in Nahum 3.19. Vbi eædem literæ quæ hîc in נפרשו pro נפרצו etsi diuersa ratione, commutantur. Illic enim ש est pro צ: At hîc contra fit. Hinc etiã רצף idem quod רשף nimirum primam notat. Simili ferè mutatione צחק & שחק eiusdẽ notionis sunt. Idémq; valet צעק quod זעק, & עלס pro עלץ vel עלז reperitur. Iam verò ne cui causam dubitandi præbeat, quòd צר sine litera א hîc scribitur, quæ in שוא exprimitur: Primùm, idem sonus est qui esset cum א ascripto. Deinde שר Iobi 15.31. cum defectu eiusdem literæ, occurrit in eadem significatione. Vt verò hunc locum ita acciperem, fecit huius loquutionis, ire post vanitatem, frequens vsus. Iobi 31.5. si iuerim cum vanitate. 2. Reg. 17.15. iuerunt post vanitatem. Ieremiæ 2.8. iuerunt post ea quæ non prosunt, hoc est, vana. 1. Samuelis 12.23. declinaretis post vanitatem. Illa autem, ire post præceptum, cui vnquam audita est? Huc accedit authoritas septuaginta & Chaldæi, interpretum. Quorum illi ita reddunt ὀπίζω τῶν ματαίων post vana. Hîc בתר ממון דשקר post diuitias vanitatis. שקר posuit pro שוא vt infrà, cap. 10.4. Hieronymus ita vertens, post sordes, aliam rationem sequutus est. Sed quod ad sensum attinet, haud longè abest. Illud verò voluit, iuit, pro voluntariè iuit. Vulgatius apud Hebræos loquendi genus est, quàm vt de eo dicere sit necesse. Simile illud Psalmo 45.5. prosperare equita, pro prosperè equita.

Et

Et Eccleſiaſtæ 8.3. ne feſtines à facie eius eas, pro ne feſtinanter.

13 *Regem Iarebi.*] Nomen proprium eſſe mihi perſuaſiſſimum eſt,& multi fatentur.Quidam,viri: Iarchius,Caluinus. Alij,loci: Aben Ezra, Quimquius.Horum ego ſententiam valde probo. Nam ne viri ſit,obſtare videtur Hebraica ſyntaxis.Nuſquam enim(quòd ſciam) nomẽ מלך cum nomine viri proprio cohæret, vt rex Dauid, rex Cyrus dicatur: niſi articulo præfixo vel expreſſo, vt דויד המלך vel incluſo vt, למלך דויך Quod autem Ieremiæ 37.1. inuenitur, וימלך-מלך צדקיהו hoc quod dico non infringit: quia nomen מלך ibi cum verbo præcedente, non cum nomine ſequente cohærere interpoſita diſtinctio arguit. Confer eum locum cum verſu 5.cap.23.eiuſdem prophetæ.An nomen loci in Aſſyria,(vt Quimquius arbitratur) fuerit,neſcio: Sed certè loci fuiſſe iudico.

ANNOTATIO IN CAP. 6.

2 *Duos dies.*] Deus citò placatur,& deinceps æterno amore proſequitur.Eſa.54.7.

3 *Sciemus,perſequemur.*] Magis & magis in Dei ſcientia proficiemus,vt lux auroræ in horas creſcit & inualeſcit. vide Prouerb.4.18. Pergit in effectis diuinæ gratiæ, & beneficijs Dei erga eccleſiam ſuam reſipiſcentem enumerandis. Sanabit nos,viuificabit, excitabit, & viuemus coram eo,& indies in eius ſcientia pergemus. Hoc enim fidelium eſt,in ſcientia & fide creſcere.

5 *Cæcîdi.*] Verbum Dei comparatur gladio, virgæ, baculo,malleo,metaphorikῶς: quia eam vim habet vt lethale vulnus improbis infligat.Eſa 11.4. Percutiet terram virga oris ſui. Ad Hebræos 4.12. Sermo Dei quouis gladio penetrantior eſt. Apoc.2.16. Pugnabo cum illis gladio oris mei. Ieremiæ 23.29. malleo perfringenti petram confertur. Huius igitur verbi diuini prædicatione quaſi gladio vel malleo,Dei prophetæ improbos cæciderunt & interfecerunt.

fecerunt. Idem verò sermo verbis sequentibus luci,& quidem orienti quæ fortior est,componitur: vt ita cùm Dei iusticia asseratur, tùm inexcusabilis eorum contumacia arguatur,quòd cum doctrina prophetarum quasi lux clara illis fuerit ad rectam viam monstrandam,in tenebris & erroribus suis permanerent.

6 *Non sacrificio.*] Id est,magis quàm sacrificio. Negatio per comparationem. Qualis est in epistola Acontij apud prophanum poetam.

Non boue mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est & sine veste fide.

Sic Iere. 7. 21. Non præcepi auis vestris de holocaustis, sed vt voci meæ auscultarent, & in vijs meis ambularent.

7 *Tanquam homines.*] Prout homines facere solent qui sua natura vani leuésq; sunt, & propterea citò resiliunt & deficiunt ab ea fide quam præstare debent. Similis apud Iobum loquutio est,capite 31.33.Si texi quasi homo defectiones meas. Tremellius vertit, tanquam hominis. Quod Caluino,aliisq; doctis alienius minúsq; simplex, vt reuera est,videtur.

Ibi.] In eo fœdere se perfidos in me præbuerunt.

8. *Galaad.*]regio erat vltra Iordanem multarũ vrbiũ quę terra Galaad dicitur.Iud.10.4.& Deut.3.13.dimidiũ Galaad dicitur datum fuisse Reubenitis, reliquum dimidiæ tribui Manassis. Quomodo igitur hîc de ea quasi vna vrbe loquitur? Mihi videtur per synecdochen singularis numerus positus pro plurali, & hoc dici, illius prouinciæ vrbes maleficas & sanguinarias fuisse. Cuiusmodi est illud Ieremiæ 17.8.folium eius erit viride,pro folia erunt.

Fœdata.] Pagnini versio hæc est, veterum Hebræorum authoritate firmata,atque ab ipso Tremellio priore ipsius enarratione probata.

9 *Shechem.*] Vrbs Leuitarum erat celebris in monte Ephraimi,Ios.21.20. olim regni Israelitici metropolis,1.Regum 12.25. Accusat sacerdotes homicidij, in ea via qua Shechemum propter celebritatem illius à plurimis ibatur,perpetrati.

11 *Etiam tibi Iudæ ponet meſſem cum populi mei captiuitatem reduxero.*] Senſus eſt, Ponet tibi meſſem cum reduxerit captiuitatem populi ſui. Anomalia perſonæ, vt Eſaiæ 22.19. Propulſabo te de loco tuo, & de ſtatione tua deſtruet te. Prophetæ enim aliquando Deum ipſum loquentem introducunt, & de eo quaſi abſente loquuntur etiam in eodem verſu.

Meſſem ponet.] Hoc eſt, tempus lætitiæ & gaudij tibi tribuet: eſt enim meſſis tempus frugiferum & lætum. Hinc Pſalm.126.5. rediens à captiuitate populus, lætis meſſoribus, & 4.Iohannis verſu 36. euangelium meſſi confertur.

Cum reduxero.] Nam vt de futura potiùs quàm præterita populi liberatione hæc verba cum Lyrano aliiſque doctis quibuſdam accipiam, faciunt ſimilia loca. Ierem. 31. 23. Cum reduxero captiuitatem populi mei, dicturi ſunt, Benedicat tibi &c. Sophon.3.vlt. Daturus ſum vos in laudem, cum reduxero captiuitatem veſtram. Pſal.14.8. Cum reduxerit Iehoua captiuitatem populi ſui, lætabitur Iacob. Eadem enim in hijs locis phraſis eſt בשובי שבות. Hac ratione diſcrimen ponitur inter Iudæos & Iſraelitas, vt cap.1.7. Domus Iſraelis non miſerebor ampliùs: Domus verò Iudæ miſerebor.

Caput 7.

CVm Iſraeli ‖ mederer, tum retecta eſt iniquitas Ephraimi, & mala Samariæ: Nam operantur falſitatem, & fur ingreditur, graſſatur turma foris.

2 *Non dicunt cum animo ſuo me omnis ipſorum malitiæ recordari: Nunc circundant eos actiones ipſorum, coram facie mea ſunt.*

3 *Malitia ſua exhilarant regem, & mendacijs ſuis principes.*

4 Quot-

4 *Quotquot sunt adulterantur, similes fornaci à pistore accensæ, qui desinit esse vigil, ex quo subacta est massa vsque dum fermentata sit.*

5 *Die regis nostri ægrotauerunt principes ‖ calore vini: ‖ extendit manum suam cum derisoribus.*

6 *Quia applicauerunt quasi furnum cor suum, dum insidiantur ipsi: Noctem totam dormit pistor eorum, ‖ manè ardet quasi ignis flammans.*

7 *Omnes incalescunt vt furnus, & consumunt iudices suos: omnes reges eorum occidunt, qui me inuocet inter eos nullus est.*

8 *Ephraim cum ‖ populis se permiscet: Ephraim est placenta non versa.*

9 *Comederunt extranei facultates eius, nec tamen ipse nouit: etiam ‖ canicies in eo sparsa est, neq; ipse nouit.*

10 *Et testificabitur gloria Israelis in faciem ipsius, neque reuertuntur ad Iehouam Deum suum, neque quærunt eum omnibus hijs.*

11 *Est autem Ephraim quasi columba ‖ fatua, excors: AEgyptios vocant, Assyrios adeunt.*

12 *Cum adierint, expandam super eos rete meum: quasi aues cæli ‖ deducam eos: castigabo eos ‖ secundum auditionem cœtus ipsorum.*

13 *Væ eis, quoniam fugiunt à me, vastatio eis, quoniam deficiunt à me: Ego verò redemi eos, & ipsi contra me mendacia loquuntur.*

14 *Neque inclamant me ex animo suo, cum eiulant in cubilibus suis, propter frumentum & mustum se congregant, refragantur mihi.*

15 *Ego*

15 Ego verò ‖ ligaui, roboraui brachia eorum, & contra me cogitant malum.

16 Reuertuntur non ad excelsum: sunt velut arcus fallax, concident gladio principes eorum, ab indignatione linguæ ipsorum: hæc sanna ipsorum in terra AEgypti.

ANNOTATIO.

1 *Mederer.*] Id est,à malis liberarem,vt Psalmo 30. 2. clamaui ad te,& sanasti me: & hîc cap.5.13.Assyrius vobis mederi nequit.

5 *Calore vini.*] A vino,ad verbum. Hoc est,cuius causa vinum erat. Vinum enim calefacit & incendit. Esa. 5. 11. manè potum inebriantem sectantur,& ad crepusculũ prorogant: vt vinum incendat eos.Iuuenal.sat.5.

Si stomachus Domini feruet vinóq, cibóq,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Horat.3.car.oda.21. *Narratur prisci Catonis*
Sæpe mero caluisse virtus.

Apud Gellium lib.17.cap.8. Vinum semina quædam caloris in se habere dicitur,& natura ignitius esse, vbiq; potum est,calefacere corpora.Illa autem interpretatio quam pleriq; sequuntur, vtre à vino, ab Hebræorum consuetudine alienior est,& minùs rectè huic loco quadrare videtur, quo ardoris à nimio vino effecta declarantur. Itaque Iarchij sententiam potiùs sequutus sum,qui voce חֲמַת calorem intelligit à יחם incaluit. Idem verbum הֶחֱלָה quod alibi transitiuum est, ægrotare facere significans, probabiliter iudicauit absolutũ hîc esse, vt sensus sit, principes ægrotasse. Neque enim hoc insolens aut rarum est, verbum idem in eadem coniugatione hiphil modò transitiuum,modò neutrum esse.Hoc in Grammatica sua pluribus exemplis confirmat Elias lib. 1. cap.11. vnum tantum afferam העשיר aliquãdo ditescere, nonnunquam ditare significat.

Extendit

Extendit manum.] Vnà cum illis familiariter versatus est in compotationibus. In quibus manus poscendo, accipiendo, porrigendo pocula extendi solet. Venusinus ille epistola ad Lollium eum morem ostendit.

Potores bibuli media de nocte falerni,
Oderunt porrecta negantem pocula.

Et Athenæus lib.1. dipnosophistarum ex Homero, à quo alicubi dici affirmat, Δείδεκτ' ἀντὶ τοῦ ἰδέξιτο ὅ ἐστιν προσέπινεν αὐτῷ τῇ δεξιᾷ δι-δοὺς τὸ ποτήριον.

6 *Manè.*] Hæc vox in versione Tremelliana omissa est: Hebraicè dicitur. בוקר תוא בוער Manè ardet.

8 *Cum populis se permiscet.*] Eorum mores sequitur, cultum Dei cum superstitionibus gentium miscens, vt sequés similitudo placentæ semicoctæ declarat. Cum enim neq; solam Dei religionem synceram tenerent, nec sordes gentium meras, sed confusam quandam mixturam: neque crudi neque cocti videbantur, & quod vulgò dicitur, nec piscis nec caro. Simili ferè ratione, Apoc.3. Laodicentium ecclesia nec frigida nec feruida fuisse memoratur. Tales tempore Achabi erant Israelitæ: Claudicabant enim in duas partes, partim Iehouam, partim idola colentes, 1. Regum 18. Item gentes illæ quas rex Assyriæ in Samaritanis vrbibus collocauit, 2.Reg.17.33. Iehouam timebant, & idola sua colebant. Deniq, Iudæi ætate Sophoniæ, qui per Iehouam iurauerunt ac regem suum, nempe idolum. Talem participationem nullo modo ferre potest Deus, qui rex atque maritus populi sui est. Et quidem solus esse vult. Verum enim illud est Senecæ in Agam.

Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

9 *Canicies in eo sparsa est.*] Hoc est, canis aspersus est. Hieronymus cum ita reddit, cani effusi sunt, elegantem metaphoram corrumpit, à guttis aquarum aspersis ad senectutem notandam, qua caput hinc inde canis quasi spargi solet. Ea idem Hieron. epistola ad Pammachium & Oceanum de Apollinario magistro suo vtitur, canis inquit caput spargebatur. Propertius lib.3.el.4.

Atque vbi iam venerem grauis intercepit ætas,

Sparserit

Sparserit & nigras alba senecta comas.

Ouid. *Quásq; fuisse tibi canas à virgine iurat,*
Spargentur subitò per caput omne comæ.

Idem metamor. 8. *Illa Trœzenius heros*
Parte Lelex, rariis iam sparsus tempora canis.

Sensum Caluinus rectissimè exponit, Israelitas malorum asperitate afflictos, inde immaturam quasi caniciem contraxisse, qualis ante tempus ex doloribus & curis prouenire solet. Quod rectè Sulmonensis ille vates ostendit, 1. de ponto eleg. 5.

Iam mihi deterior canis aspergitur ætas:
Iámq; meos vultus ruga senilis arat.
Confiteor facere hoc annos, sed & altera causa est,
Anxietas animi, continuúsq; labor.
Nam mea per longos si quis mala digerat annos:
Crede mihi, Pylio Nestore maior ero.
Me quoque debilitat series immensa laborum:
Ante meum tempus cogor & esse senex.
Te quoque quam iuuenem discedens urbe reliqui, quem
Credibile est nostris insenuisse malis.

Roma grauissimis malis, peste ac fame pressa, apud Claudianum.

Non solito vultu est, humeris vix sustinet ægris
Squalentem clypeum, laxata casside prodit
Caniciem. Eadem postea recreata, apud eundem.
Afflata est meliore iuuenta:
Continuò redit ille vigor, seniliq; colorem
Mutauere comæ.

11 *Fatua.*] Columba propter suam simplicitatem incauta est & insidijs exposita: Nec malum infert alteri, nec sibi cauet à malo. Itaq; Math. 10. 16. serpenti callido & prudenti opponitur.

12 *Deducam eos quasi aues cæli.*] Ad verbum, descendere faciam. Apta similitudo est, à superiore versu quo columbis conferebantur, huc vsque continuata. Seneca in Hercule Oetæo.

Has enim nunquam irritas sagittas

Mittes in hostem, siue de media voles
Auferre volucres nube, descendent aues,
Et certam prædam tela de cælo ferent.

Secundum auditionem cætus ipsorum.] Hieronymi versio hæc est Hebræis sanè vocibus apta. Quam ob eam causam retinendam existimo, quia ambiguam sententiã verborum primæuæ linguæ continet. Nam vel ita intelligas licet, Prout ab illorum cœtu auditum est ex prophetarum id denunciantium ore: vel ita, Castigabo eos iuxta famam & rumorem de cœtus ipsorum clade perlatam: quasi hîc aliquam cladem ab Israelitis acceptam denotet, de qua eo tempore recens fama spargebatur. שמע enim propriè auditionem notat, aliquando rumorem & famam, vt Latinis etiam simili ratione auditio interdum rumor dicitur. Ad huius sententiæ confirmationem, similis Esaiæ 23. 5. loquutio est. Quemadmodum auditione AEgypti, intremant æquè auditione Tyri, i. rumore calamitatis ipsius audito. Non autem deerant hoc tempore recentium calamitatum exempla ad comparationem. Grauiter enim afflicti fuerant ab Assyrijs non semel.

15 *Ligaui.*] Verbum וסר ligationem aliquando vt cognatum אסר designat. Hinc enim מוסרות vincula nominantur. Est quidem hæc notio huic loco conuenientissima, ad corroborationem denotandam. Ligamen enim rebus confirmationi est, vt rectè Quimquius in hunc locum obseruauit. Itaque non solùm brachia vt robustiora sint, sed & aliæ corporis partes ad maiorem earum firmitatem sæpe vinculis constringuntur. Mercerus in suis in Pagninum annotationibus ad hanc radicem hunc locum exponens, Ligaui, inquit, id est, constrinxi, ne laxa & soluta essent, & roboraui, vt mox sequitur. Multorum aliorum iudicijs eadem interpretatio firmata est, Quimquij, Caluini, Montani, Molleri, ipsius Tremellij priore enarratione. Eam igitur amplector præcipuè: Proximè verò, Hieronymi versionem probo, erudiui.

Caput

Caput 8.

ADhibita palato tuo buccina, [dicito, Inuolat] quasi aquila in domum Iehouæ: eò quòd transgrediuntur fœdus meum, & à lege mea deficiunt.

2 Ad me ‖ clamabunt Israelitæ, [dicentes,] Deus mi, agnoscimus te.

3 Deseruit Israel bonum, inimicus persequetur eum.

4 Ipsi reges constituerunt, at non ex me, creauerunt principes quos non noui: Argento suo & auro suo idola sibi fecerunt, vt excindatur [Israel.]

5 Abiecit [‖ eos] vitulus tuus ô Samaria: exarsit in ipsos ira mea: quoúsq; non poterunt innocentiam [‖ ferre.]

6 Nam ab Israele ipse quoque est, artifex fecit illum, neque Deus est: Nam in fragmenta erit Samariæ vitulus.

7 Quia ‖ ventum seminant, & turbinem metent, seges non erit ei, germen non efficiet farinam: si fortè fecerit, extranei ipsam absorbebunt.

8 Absorbebitur Israel: mox erunt in gentibus similes instrumento in quo nulla est delectatio.

9 Quia ipsi in Assyriam profecti sunt [tanquam] ‖ onager ‖ solitarius ‖ sibi: Ephraimitæ mercede amores conduxerunt.

10 ‖ Etiamsi mercede conduxerint, inter gentes iam colligam eos: atque cœperunt paululum propter onus regis principum.

11 Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, sunt ipsi altaria ad ‖ peccandum.

12 Scripsi ei ‖ amplitudines legis meæ: ‖ tanquam res aliena reputatæ sunt.

13 Sacrificia ‖ donariorum meorum sacrificant, carnem comedúntq;, Iehoua non ‖ accipit eos, mox recordabitur iniquitatis eorum, & peccata eorum animaduertet, ipsi in ‖ Ægyptum reuertentur.

14 Oblîtus est autem Israel opificis sui, extruxítq; templa, & Iuda multiplicauit ‖ vrbes munitas: ideò immittam ignem in ‖ vrbes eius, & palatia eius absumet.

ANNOTATIO.

1 *Adhibita.*] Verbum è verbo ita legitur, Ad palatum tuum buccina quasi aquila contra domum Iehouæ. Ecliptica oratio est, hanc habens sententiam, Apposita ori tuo buccina populum conuocato, eúmq; impendentis periculi moneto, hijs verbis: Quasi aquila hostis contra Hierosolymam inuolat. In more positum erat, clangore tubæ populum congregatum monere, vt sibi ab hoste aduentante caueret, Ezechielis 33.3. Iere. 4.5, 16. versibus.

2 *Clamabunt.*] In rebus aduersis & dubijs: sed frustra, quia sine vera fide & resipiscentia, vt Prouer. 1.27. Ridebo cum aduenerit eorum calamitas. Tunc inuocabunt me, sed non exaudiam eos.

5 *Eos.*] Scilicet Israelitas, de quibus versu præcedente loquutus est, statímq; verbis sequentibus loquitur. Huius accusatiui ellipsis est, qualis cap. 4.12. aliísq; in locis haud paucis. Est verò etiam post hoc verbum accusatiui ellipsis familiaris & vsitata, Psalmo 44.24. ne reijcias in æternum, Psal. 74.1. quare abijcis in æternum? Cum verò vitulum eos abiecisse dicit, hoc vult, eorum idololatriam abdicationis & exitij ipsorum causam fuisse. Metonymia, vt cap. 10.15. Sic vobis fecit Bethel.

Ferre.]

Ferre.] Illud verbum hîc ſubintelligo, quod alijs in locis poſt idem verbum יכל ad odium & deteſtationem deſignandam ſubaudiri ſolet. Pſalm. 101. ſuperbum לא אוכל non poſſum, ſubintelligitur, ferre. Eſa 1.13. iniquitatem nõ poſſum, ſupple, ferre. Eſt quidem hoc ad Iſraelitarum improbitatem aggrauandam ſignificantiſſimum, quòd innocentiam ne ferre quidem potuiſſe dicuntur.

7 *Ventum.*] Seminare ventum eſt in vanum laborare, vt Eccleſ.5.15. laborare vento: & Prouerb.11.29. poſſidere ventum eſt poſſeſſionem nihili habere. Hinc Græcis prouerbium huic non diſſimile de vano labore ἀνέμους γεωργεῖν ventos colere. Hîc ergo ſenſus eſt, eos fruſtra eſſe in idolorum cultu, & irritum illum laborem damnoſum finem allaturum. Turbinem enim ex vento ſato metere, nihil eſt, quàm ex inutili & vana opera malum acquirere.

9 *Onager.*] Onager maxima libidine ferri & velociſſimè abripi ſolet, ita vt ab inſtituto curſu reuocari nequeat, Ierem.2.23. Xenophon in Cyro minore, lib.1. tantam eius pernicitatem eſſe ſcribit, vt equos curſu longè ſuperet. Eſt igitur hæc aptiſſima ſimilitudo ad præcipitem illum feruorem arguendum, quo Iſraelitæ acti huc illuc, ad externarum gentium fœdera, præſidia, ſuperſtitiones curſitauerunt. vide Ier.2.23.

Solitarius.] Iobi 39.9. Onagri domum ſolitudinem poſuit, & habitationem eius ſalſuginoſam terram. Eccleſiaſtici 13.21. Venatio leonis onager in deſerto. Solitarius itaq; vocatur, quia in locis deſertis & ſolitarijs verſatur.

Sibi.] Hîc datiuus abundat, vt multis in locis. Exodi 18. in fine iuit ſibi in regionem ſuam. Eſa.31.8. Fugiet ſibi à gladio. Amoſi 2.13. plauſtrum plenum ſibi. Genus loquendi ſolens & crebrum etiam Latinis & Græcis.

10 *Etiamſi.*] Ita hîc interpretor גם כי vt cap.9.16. גם כי ילדון. Etiamſi genuerint, & Eſa.1.15. תרבו גם כי Etiamſi multiplicaueritis, &c.

11 *Ad peccandum.*] Id eſt, in maiorem condemnationem, & reatum ei cedent: vt 1. Regum 12.30. fecit vitulos aureos, quod ei in peccatum erat. Ibidem cap. 13. in

fine, constituit ex populo sacerdotes, fuitq; hoc ei in peccatum,& ad excindendum & perdendum.

12 *Amplitudines.*] Vel magnitudines legis meæ. Hoc est,magnificentissimam legem meam,amplissimáq; illius documenta, quæ ob rerum diuinarum præstantiam & maiestatem magna vel magnifica vocantur,vt Actorum 2. 11. μεγαλεῖα τῦ θεοῦ, Audimus eos loquentes magnifica dei. Summa hæc diuinæ legis commendatio est à rerum excellentia, qua à Dauide auro & argento, Psal.19. à Salomone preciosissimis vnionibus omnibúsq; hominum desiderijs, Prouerb. 3.15. à Mose omnibus alijs reliquarum gentium doctrinis,Deut.4.6. antefertur.

Tanquam res aliena.] Arguit hijs verbis præciosissimæ illius legis contemptum & neglectum: Quæ non pluris ab illis facta est,quàm si res extranea aliqua fuisset,quæ ad eos minimè pertineret.Vt enim ex hominibus extrarij & alieni minùs quàm domestici & proprij diliguntur: ex quo illa Iobi querela est,cap.19, Ancillæ meæ extraneum me reputant,alienigena illis videor: Ita etiam rebus alijs cõtingit vt alienæ negligãtur,multóq; à nobis minoris quàm nostræ fiant.Vnde illud est in Topicis Ciceronianis axioma,Sua alienis anteponenda. Atque Aristotelis Oeconomicorum,1. δεῖ εἰς ὀπιμελεῖται ὁμόιως τῶν ἀλλοτρίων ἢ τῶν οἰκείων. Idem declarat versiculus Q. Ennij à Gellio lib.2. cap.29. commendatus, Ne quid expectes amicos quod tu agere possis.Quo innuit,non magnæ aliena hominibus curæ esse. Non possum hîc prætermittere quin explicem quæ mihi videatur vis illorum Christi verborum apud Lucam 16. 12. Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis vobis dabit? Quæ à nonnullis magnis viris ita intelliguntur,quasi homines maiorem alienarum quàm suarum rerum curam habeant, quia in alienis suæ fidei commissis de quibus rationem reddituri sint, cautiores esse solent quàm in suis. Mihi verò illum locũ expendenti,videtur ea in alieno fides dici, non qua aliena cautè custodiuntur suo tempore reddenda,sed contrà,qua pro domini voluntate liberaliter expenduntur & consumuntur, ad quod

multò

multò procliuiores homines ſunt, quàm ad rerum ſuarum iacturam faciendam: Etenim leuiùs nos tangit alienarum quàm noſtrarum rerum amiſſio. Hæc igitur verborum Chriſti ſententia eſt, Si aliena quæ minùs curantur, domino id permittente ac iubente, expendere nolueritis: quid de veſtris ac proprijs expectandum eſt, quę tenaciùs, & maiore ſolicitudine aſſeruari ſolent? Ita, quod de alienis poſthabitis dicebamus, Chriſti dicto ſtabilitur.

13 *Donariorum meorum.*] Videlicet quæ mihi donantur. Ita vocem Hebræam הנחבי cum Quimquio & Tremellio interpretor à יהב quod dare ſignificat. Oblationes enim & ſacrificia dona vocantur, 1. Samuelis 2. 17. Spreuerunt munus Iehouæ. Lucretius lib. 4.

Conſpergunt aras adolént q, altaria donis.

Math. 5. 23. cum obtuleris donum tuum ad altare. Eſech. 20. 39. ne prophanate nomen meum donis veſtris.

Non accipit eos.] i. gratos & acceptos non habet. Hoc enim propriè ſignificat רצה benignè acceptare, acceptum habere. Vide eandem ſententiam, Ieremiæ 14. 10.

In AEgyptum reuertentur.] Pœnæ denunciationem cum Lyrano Oecolampadius hîc intellexerunt: Quorum ſententiæ meã adiungo. Comminationẽ enim eſſe puto, qualis eſt cap. 9. 3. Non manebunt in terra Iehouæ: verùm Ephraim redibit in AEgyptum, & in Aſſyria pollutum comedent. Non quòd hoſtiliter ab AEgyptijs eò deportati fuerint, ſed permulti, Aſſyriorum crudelitatem, & patriæ ſuæ calamitates fugientes, in AEgyptum commigrauerunt, cap. 9. 6. Abibunt à vaſtatione, &c. Idem poſtea Iudæi feciſſe dicuntur, Ierem. 42. 14. AEgyptum ingrediemur, ne bellum videamus & fame premamur. Miſerũ hoc erat, præ malorum aſperitate ſolum natale relinquere cogi, & à dulci patria exulantes, vitã acerbam degere. Quod Moſes antè Deut. 28. in fine denunciauerat, Reducet te Iehoua in AEgyptum nauibus, ibíque vos ipſos in ſeruitutem vendetis. Hinc cum Deus Iſraelitarum liberationem pollicetur, dicit eos non ſolùm ab Aſſyria, verumetiam AEgypto reductum iri. Hîc cap. 11. 10. feſtinabunt quaſi

auis ex AEgypto, & quasi columba ex Assyria. Esa.11.11. Reliquias populi sui ex Assyria & AEgypto,&c.

14 *Vrbes munitas.*] In quibus securè fiduciam posuerunt maiorem quàm in Deo, vt Ierem. 5.17. Vrbes tuas munitas quibus confidis,destruent. Mich. 5.11. Cum in Deo solo præsidium ecclesiæ positum fore significat, dicit equos,currus, vrbes,& munitiones excisum iri.

In vrbes eius,& consumet palatia eius.] Quominùs ad Iudam vtrúmq; affixum referatur nihil impedit, ne generis quidem varietas,quam Tremellius hoc euincere dicit, vt alterum relatiuum ad Israelem referatur. Similis enim relatiuorum varietas est,Lament.2.5.Quæ tamen ad idé antecedés referuntur. Absorpsit palatia eius ארמנותיה perdidit munitiones eius .מבצריו Nomina propria populorum indifferenter cum masculino vel fœminino genere consentiunt: Masculino,populi respectu, fœminino terræ vel congregationis ratione,suprà cap.5.9.Ephraim תהיה erit desolationi. Nomen masculinum proprium,fœminino verbo iungitur.

Caput 9.

NE ‖ lateris Israel ad ‖ exultationem, vt populi,quia scortatus es à Deo tuo,dilexisti mercedem meretriciam in omnibus areis frumentarijs.

2 Area & torcular non pascet illos, & mustum ‖ illi ‖ mentietur.

3 Non habitabunt in terra Iehouæ, sed reuertetur Ephraim in AEgyptum, & in ‖ Assyria pollutum comedent.

4 Non ‖ libabunt Iehouæ vinum,neque iucunda erunt ipsi sacrificia eorum,vt cibus lugentium illis erunt,quem quicunq; comedunt seſe polluunt : Nam

cibus

cibus eorum pro mortuo ipsorum non venit in domum Iehouæ.

5 Quid ‖ facturi estis die solennitatis, & die festi Iehouæ?

6 Quia ecce à ‖ vastatione abituri sunt, Aegyptus ‖ congregabit eos, Memphis sepeliet eos: desiderata ad argentum ipsorum [loca,] ‖ chamæleon hereditario possidebit, spina in ‖ tentorijs ipsorū [erit.]

7 Aduenerunt dies retributionis: ‖ cognoscent Israelitæ stultos prophetas dementes ‖ viros spiritus esse: propter amplitudinem iniquitatis tuæ & multum ‖ odium.

8 ‖ Speculator Ephraimi cum Deo meo, propheta, laqueus aucupis contra omnes vias eius, odium est in domo Dei sui.

9 ‖ Profundè corrupti sunt, vt diebus Gabaæ: recordabitur iniquitatis eorum, animaduertet peccata eorum.

10 Tanquam vuas in deserto inueneram Israelem, vt ‖ primam fructum in ficu, principio ipsius, videram auos vestros: Ipsi venerunt ad Beel Phegorem, & se propudio separauerunt, fuerúntq; ‖ detestationes prout amauerunt.

11 ‖ Ephraimitæ, tanquam volucris auolabit ‖ gloria eorum, à ‖ partu, ab vtero, & à conceptu.

12 Quòd si educauerint filios suos, [sublatis illis] ab ‖ hominibus eos orbabo: quinetiam væ eis cùm ab ipsis discessero.

13 Ephraim, quemadmodum video Tyrum, plãtata est in habitaculo: Sed Ephraim producturus

est

est ad interfectorem filios suos.

14 Da eis Iehoua, quod daturus es: Da eis vulvam abortientem & vbera arida.

15 Totum malum eorum in Galgale est, nam ibi eos odi, propter malitiam actionum istorum è domo mea expellam eos, non pergam amare eos, omnes principes eorum sunt refractarij.

16 ‖ Percutietur Ephraim, radix ipsorum exaresçet, ‖fructum non sunt facturi: Etiamsi genuerint, morte afficiam tamen vteri ipsorum ‖desideria.

17 Spernet eos Deus meus quia non auscultant ei, ideo inter gentes errabundi erunt.

ANNOTATIO.

1 *Ne læteris.*] Est enim maior tibi lugendi causa quàm lætandi, quia Deum sceleribus tuis ad iram prouocasti, vnde tibi supplicium imminet. Videtur hîc ea figura quæ à Grammaticis Litotes dicitur, nõ lætari positum pro lugere, & dolore affici. Cuiusmodi illud est Homericum, οὐδ' ἄρα τώγε ἰδὼν γήθησεν ἀχιλλεύς. Non est lætatus Achilles, dixit, pro indoluit & tristicia affectus est, vt Plutarchus in vita Homeri interpretatur, βέλτιον γὰρ εἰπεῖν τὸ ἐναντίον, ὅτι ἰδὼν αὐτοὺς ἐλυπήθη. Huius generis illud est, Prouerb. 17. 20. qui gignit stolidum, in mærorem suum eum gignit, neq; lætabitur pater stulti. i. mærebit, tristabitur.

Ad exultationem.] Sic Iobi 3. 23. ad exultationem lætantur, gaudent cùm sepulchrum inueniunt: hoc est, magnopere lætantur, & gaudio gestiunt.

2 *Mentietur illis.*] Fallet eorum spem, vt cap. 10. 13. fructus mendacij dicitur, qui hominum expectationi non respondet. Sic Habac. 3. 17. Opus oliuæ mentitur. Simili ratione ab Horatio 3. car. oda 1. fundus mendax dicitur, qui domini spem frustratur.

Desiderantem quod satis est non

tumul-

tumultuosum sollicitat mare,
non verberatæ grandine vineæ
Fundusq; mendax.

Illi.] Duplex hîc lectio fuisse videtur. Græci, Chaldæus, Hieronymus legerunt בם illis. Masoritæ hîc annotauerunt à quibusdam eam lectionem fuisse probatam, vt 2. Reg. 3. 24. Vulgata nunc exemplaria habent בה illi. Quod ad sensum attinet, ne pluma quidem interest vtramuis sequamur. Singularis enim numeri vox, illi, Israelitarũ congregationem notauerit, ita sensus idem fuerit. Generis verò & numeri enallage hîc est, pascet eos, mentietur illi, qualis cap. 4. 19. ligabit eam, & pudefient.

3 *In Assyria.*] Iustum Dei iudicium, quia ad istorum populorum auxilium à Deo ante confugerant, cap. 7. 11. AEgyptios vocant, Assyrios adeunt. Vide etiam cap. 12. 1.

Pollutum.] Cibos immundos, & in lege vetitos, Lyranus ait. Significat verò eos in captiuitatem abituros in Assyriam, ibíq; hoc facturos, illarum gentium more viuentes. Ab effecto vel adiuncto captiuitas arguitur, scilicet rerum impurarum esu. Simile est Esechielis 4. 13. Israelitæ inter gentes ad quas eos depulero, pollutum comedent.

4 *Non libabunt.*] Aliud eorum captiuitatis effectum, sacrificiorum cessatio & abolitio, de qua cap. 3. 4. Diu manebunt sine rege, sine sacrificio, &c. Sensus est, eos deinceps cùm deportati fuerint, non esse sacrificaturos in terra polluta, vbi nec legitimum altare, nec sanctuarium erat: Aut si sacrificent, eorum victimas similes fore lugentium cibo à quo deus abhorrebat, vt finis versus ostendit, quo negat cibum funebrem in domum Dei venire, hoc est, ei gratum & acceptum esse. Lugentium enim cibum vocat eum, quo lugentes in cænis funebribus vescebantur. Quo de ritu videre licet, Ieremiæ 16. 7, 8. nec impartientur cibum illis in luctu, nec in domum conuiuij venies. Item Esechielis 24. 17. Mortuorum luctum ne facito, neque cibum lugentium comedito. Erat autem cibus iste impurus, quia à lugentibus qui polluti habebantur edebatur, Leuit. 21. 1, 3. Quicquid enim immundus tetigerat,

pollutum

pollutum erat, Numeri 19. vlt. Hinc Aggæus 2.13 affirmat quemuis cibum ab eo tactum qui immundus erat à mortuo, pollutum esse. Ita q; nō mirum est eum Deo displicuisse, quanquam præter immunditiē, alia causa erat quare longè ab eius domo arceretur. Quam Tremellius in hunc locum obseruauit: Nimirum, quia sacrificantes lætari, & cum gaudio id munus obire tenebantur, Deut. 12.7. Hinc illa Israelitarum professio, ibid. cap. 26.14. Non comedi ex eo in luctu meo, nec in mortuum ex eo dedi.

5 *Quid facietis.*] Tertium calamitosæ eorum captiuitatis argumentum, quòd ne festa quidem solennia celebraturi sint: Quod antè minabatur, cap. 2. 12. Abolebo gaudia, festa, nouilunia, sabbata, solennitates.

6 *A vastatione.*] Metu crudelitatis hostilis, in AEgyptum, vt ibi commorentur, confugient. Hieron. Calu. & Tremel. priore sua explicatione ita exponunt. Vide cap. 8. 13. annotata.

Congregabit eos.] Verba colligendi ad sepulturam significandam adhibentur. Esechielis 29.5. Non colligêris, neque congregaberis, sed eris in cibum feris & volucribus. Ierem. 8.2. non colligemini, nec sepeliemini.

Chamæleon.] Desolationis argumentum, vt Esa. 34. 13. spina & chamæleon in munitionibus eius.

Tentorijs.] Id est, habitaculis & domicilijs, vt Iud. 19.9. plurimisq; alijs in locis.

7 *Cognoscent.*] Misera tandem experientia discent se seductos fuisse à prophetis stolidis. Cognoscent stultus propheta, hoc est, stultum esse prophetam. Hebraismus, qualis Psalmo 10. in fine. Scient gentes mortales sunt. Zachariæ 8. in fine. Audiuimus Deus vobiscum, pro Deum vobiscum esse.

Virum spiritus cum Caluino eum dici arbitror, qui antè propheta dicebatur, quia prophetæ spiritu Dei præditi fuerunt, eóq; dictante loquebantur, Zachar. 7.12. Misit Iehoua per spiritum suum manu prophetarum. Quanquā fateor vtróq; nomine falsos prophetas notari, qui se spiritum sanctum habere iactitauerunt. Vt nomine Dei idola

appel-

appellantur,2.Reg.1.2. Beelzebub deus Ecronitarum : Sic miniſtrorum illius,nempe prophetarum, nomen pſeudoprophetis tribuitur, Sophon.3.4. Prophetæ eius leues: & idololatricis,1.Regum 18.19. Congrega prophetas Baalis cum prophetis luci.

Odium.] Scelera quibus Dei odium in te concitauiſti, & quæ Deus odit. Caluinus ita exponit. Metonymia eſt, vt apud Plautum in Rudente eo modo leno deûm atque hominum odium vocatur.Huius generis illud eſt, Prouer. 11.1.Bilances doloſæ ſunt abominatio Iehouæ.

8 Speculator & propheta hîc mihi nominatiui abſoluti videntur hac ſententia. Quod ad eum attinet qui ſpeculator Ephraimi eſt cumDeo meo,hoc eſt,fideliter & piè ſuo munere ex Dei mandato fungitur : Quod inquam ad prophetam attinet,verum ſcilicet & ſpiritu Dei præditum, omnibus vijs illius ad eum irretiendum laquei tenduntur ab improbis diuini verbi contemptoribus. Talium nominatiuorum magnus numerus eſt. Vnum huius generis habes verſu 11.huius capitis,Ephraim gloria eorum,&c. Latina loquutio eſt.Saluſtius.Plebs vrbana: ea verò præceps erat. Vt igitur quantum falſis prophetis tribuebant,ſuperior verſus oſtendit : Ita hic quo in præcio veros habebant, declarat. Tantum aberat, vt eos quo decuit amore proſequerentur,vt etiam mala illis machinati ſint, & more aucupum laqueos illis tetenderint. Qua de re queritur Ieremias,cap.18.22. foderunt foſſam ad capiendum me,& pedibus meis laqueos occultauerunt. Eſa.29.21. Peccati reum peragunt propter verbum, & corripienti in porta tendiculam ponunt.

9 *Profundærunt,corruperunt.*] Hoc eſt, profundè corrupti ſunt. In tali enim verborum coniunctione, ſæpè prius aduerbij loco ponitur,cap.5.11. voluit iuit,id eſt,voluntariè iuit. Quid autem ſit profundè corrumpi, diſces ex cap.5.2.& Eſa.31.6. atque haud diſſimili loquutione Saluſtij ad Cæſarem de repub. ordinanda. Vt ex alienis malis deterrimi mortales ventri atque profundæ libidini ſumptus quærerent, atque eſſent opprobria victoriæ, quorum flagitijs

flagitijs commacularetur bonorum laus.

10 *Vt primum fructum in ficu.*] Primas & præcoces ficus intelligit. Quarum maximum desiderium esse solet, Esa.28.4. Vt fructus præcox ante æstatem, quem visum quispiam dum adhuc est in manu, deuorat. Lucilius apud Nonium.

Sicuti cum primos ficus propalam recentes
protulit, & precio ingenti dat primitus paucos.

Primæ verò dicuntur, quæ primùm maturuerunt. Horat.

Dum ficus prima calóre,
Designatorem decorat lictoribus atris. Græcè πρόδρομοι appellantur ab Athenæo, lib.3. dipnos.

Detestationes.] Vel abominationes. Hoc nomine vocat abominanda & detestanda idola. Sic Deut.29.17. Vidistis abominationes & stercora eorum. 2.Par.15.8. Amauit abominationes.2.Reg.23.13. Astaroth abominatio Sidoniorum, id est, detestandum idolum. Metonymia. Cum dicit abominationes fuisse prout amauerunt, sententia est, eis multa alia abominanda idola fuisse, quæ pro arbitrio suo coluerunt, prout amore & quodam libidinis feruore erga ea abducti fuerunt. Amos.4.4. Galgale augete defectionẽ, sic enim Israelitæ amauistis.

11 Quod ad sensum attinet, rectè vertitur à Tremellio. Est enim Ephraim nominatiuus absolutus, pro quod ad Ephraimitas spectat: Quod genus loquendi Latinis ipsis familiare est. Vide annotationem versus 8.

Gloria eorum.] Id est, Filij in quibus parentes gloriari solent, maximámq; ex illis voluptatem capere. Lea in suis filijs gloriatur, Gen.29. & Rachel ibid. cap.30. & nato Isaaco Sara. Anna etiam in Samuele, vt canticum eius arguit. Prouerb.17.6. corona senum sunt filiorum filij, & decus parentum suorum liberi. Rectè igitur parentum gloria dicuntur per meton. Quo modo Liuia Augusti apud poetam in epicedio Drusi, filium suum appellat: *Gloria confectæ nate parentis ubi es?* Sic Claudianus Proserpinam Cereris gloriam & superbiam vocat illis versibus quos antè ad versum 5. capitis 5. attulimus. Apud Persas, se-

cundum

cundum bellicam fortitudinem, maximo in precio fuisse numerosam prolem,& multorum liberorum patri regem munera mittere solitum esse, tanquam strenuum quippiam præstiterit,Herodotus testis est.

A partu.] Quatuor gradibus filiorum interitus explicatur. A conceptione, ne in vtero grauidato viuificentur: Ab vtero, antequam in vtero gestati iustum tempus ad partum compleuerint: A partu,cum recens in lucem editi fuerint: Ab educatione, cùm scilicet in pueritia ad aliquod tempus enutriti fuerint. Hæc omnia fœminæ sæpe experiuntur.

12 *Ab hominibus.*] Hoc est,ne deinceps inter homines superstint & viuant,vt Prou.30.14. Ad consumendum pauperes è terra,& egenos ab hominibus. Simili fere ratione Nabuchodonosor, Dan.4. dicitur eiectus ab hominibus, quia inter bestias degens ab hominum commercio exulauit: Hoc tantùm interest,quòd ille inter viuos relinquebatur.Qui autem ita intelligunt ab hominibus,id est,ne in viros euadant, eorum tum sententiam probabilem putauero,cum didicero nomen Adam,quod totius speciei cõmune est,de statu virili vsurpari. Quod verò dicit,Orbabo eos ab hominibus,hunc sensum habet, tollam eorum filios ab hominibus, vel orbabo eos, filijs ipsorum sublatis, שכל enim propriè significat parentes suis filijs orbare. Similis huius verbi significatio est, Deut.32.25. Foris orbabit gladius tàm iuuenes quàm virgines, id est, iuuenibus cum virginibus sublatis.

16 *Percutietur.*] Metaphora à stirpibus sumpta, quæ vermibus, vento, aut vi cæli asperioris tactæ & percussæ exarescunt,vt Ionæ 4.7. Percussit ricinum, & Psal.102.5. Percussum cor meum quasi herba exaruit.

Fructum non facient.] Liberos non gignent. Lament.2. 20. comederéntne mulieres fructum suum? In cœpta ab arboribus metaphora persistit: Qua liberi etiam fructus vteri sæpe dicuntur, Deut.28.11,18. Lucæ 1.42. Benedictus fructus ventris tui. Hinc vxor fœcunda viti feraci & fructiferæ comparatur,Psal.128.

Desideria.]

Deſideria.] Hoc eſt, deſideratiſſimos eorum liberos. Metonymia adiuncti. Qualis apud Ciceronem in epiſtolis, vxorem & liberos deſideria ſua appellantem. Valete, inquit, mea deſideria, valete.

Caput 10.

VItis vacua eſt Iſrael, fructum reponit ſibi: ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria: prout bene fuit terræ ſuæ ‖ benefecerunt ſtatus.

2 Diuiſum eſt cor eorum, iam rei erunt, ‖ Ipſe decutiet altaria eorum, ſtatuas eorum vaſtabit.

3 Nunc enim dicent, Nullus nobis rex eſt: Nam non timemus Iehouam, & rex quid faceret nobis?

4 Loquuntur verba, iurant falsò, percutiunt fœdus: & floret iudicium quaſi ‖ cicuta per porcas agri.

5 Vitulis Bethauenis formidabunt habitatores Samariæ: quia lugebit propter eum ‖ populus eius, & ſacrificuli eius qui de eo exultant, propter gloriam eius quæ ab eo migrauerit.

6 Etiam ipſe in Aſſyriam deportabitur munus regi Iareb, pudorem accipiet Ephraim, atque Iſraelem conſilij ſui pudebit.

7 Excindetur Samaria, ‖ rex q3 eius: quaſi ‖ bulla in ſuperficie aquarum [erit.]

8 Et ſuccidentur excelſa Auenis, peccatum Iſraelis: ‖ ſpina & tribulus aſſurget ſuper altaria eorum: & dicent montibus, Tegite nos, & collibus, Cadite ſuper nos.

9 A diebus Gabaæ peccaſti Iſrael: ibi ſteterunt,

non

non assequutum est eos Gabaæ bellum contra ‖ iniquos gestum.

10 Pro voluntate mea corripiam eos,& congregabuntur contra eos populi,cùm corripientur propter ‖ duas iniquitates suas.

11 Ephraim verò vitula edocta, amans triturare.Et ego transiui super præstãtiam colli eius: ‖ Equitare faciam Ephraimum, arabit Iuda, occabit sibi Iacob.

12 Seminate vobis ad iusticiam,metite ad benignitatem, nouellate vobis nouale: Nam tempus est quærendi Iehouam donec veniat, & matura vobis pluuia iusticiæ sit.

13 Arastis improbitatem, iniquitatem messuistis,comedistis fructum mendacij, quia viæ tuæ confisus es,multitudini potentium tuorum.

14 Exurget verò tumultus in populis tuis, & vnaquæq; munitionum tuarum vastabitur, vt vastauit ‖ Shalman Betharbelem die belli: matre super filios allisa.

15 Ita efficit vobis Bethel, propter summam ‖ malitiam vestram, in ‖ aurora planè excindetur rex Israelis.

ANNOTATIO.

1 *Benefecerunt statuis.*] Statuas ornauerunt, & pulchriores fecerunt. Sic idem verbum accipitur,2.Regum 9.30. וַתֵּיטֶב & benefecit,hoc est,ornauit caput suum.

2 *Ipse.*] Nimirum Deus,fine superioris capitis memoratus.

4 *Cicuta.*] Hoc est, iudicium quod salutare & gratum

est,nunc acerbum & amarum fit, atque in perniciem hominibus iniuria oppressis vertitur,vt simile cicutæ, herbæ tetræ & venenosæ passim in agris crescenti videatur. Sic Amos.6.13. Vertistis iudicium in cicutam, & fructum iustitiæ in absynthium.

5 *Populus eius.*] Idololatræ à quibus colitur,vt Numerorum 21.29.Perijsti populc Chemoshi.

7 *Réxq; eius.*] Verbum è verbo legitur, excindêtur Samaria rex eius. Asyndeton copulatiuæ esse videtur, vt Habac.3.10. Sol,luna stetit, pro & luna. Esa.38.14.vt grus, hirundo,pipiebam, pro & hirundo, Aben Ezra ita exponit,Excindetur Samaria,excindetur rex eius,priore dictione repetita.

Bulla.] קצף bullam interpretor, aliorum quorundam authoritatem sequutus, quia aptissimè huic loco conuenit. Primùm Symmachus Græcus interpres,teste Hieronymo,ita intellexit. Ipséq; Hieron.quanquam spumam interpretatur,bullas tamen eo nomine capere videtur. Hæc eius in hunc locum scribentis verba sunt. Symmachus inquit, ὀπίζημα posuit, ostendere volens ollæ feruentis superiores aquas,& in spumam bullásq; surgentes, quas Græci σομφίλυγας vocant. Vt igitur spuma super aquas citò dissoluitur: ita regnum decem tribuum velociter finietur.Hæc ille. Mercerus etiam in Pagninum ad hanc radicem affirmat pro bulla vel spuma eam vocem sumi, Oseæ 10. eóq; alludi,Esa.54. dum iræ diuinæ breuitatem bullæ seu spumæ comparat. Deniq; Mollerus ad hunc locum. Comparat (inquit) regem bullæ seu spumæ super aquas natanti, quæ subitò euanescit. Dicitur autem bulla קצף à קצף quod feruere & bullire significat,quia feruoris & ebullitionis effectum est. Sic Latini bullam à bullando, & Græci ὀπίζημα ab ὀπίζω, ebullio vocauere. Aptissima verò hæc similitudo est ad momentaneam breuitatem denotandam: Nam citiùs ferè non assurgit bulla quàm euanescit. Vnde apud Varronem de fluxa vitæ humanæ natura prouerbium est,Homo bulla. Conferenda hæc sunt cum versu vltimo huius capitis,quo idem dicitur,In aurora rex Israelis excin-

excindêtur,hoc eſt,ſubitò & citò peribit.

8 *Spinâ.*] Deſolabuntur. Sic cap.9.6. ſpina in tentorijs eorum erit.

9 *Filios iniquitatis.*] Iniquos & improbos, vt 2.Sam.3. 34.&7.10. Filij iniquitatis non pergent affligere eum. Beniaminitæ primùm inuicti fuerunt & fortiter ſteterunt, nec aſſequutum eſt eos prælium, cùm tamen mihi placuit,vindicta de illis ſumpta fuit,populíſq; iterum contra eos congregatis,tandem meritas dederunt pœnas: Ita ego,etiamſi vobis diu pepercerim,tamen cùm illis ſimiles ſitis, ab cóq; tempore vſque adhuc me prouocatis, pro voluntate mea corripiam vos, vt tandem Gibeonitas caſtigaui.

10 *Propter duas iniquitates.*] Hoc eſt, duos vitulos Dane & Bethele adoratos (vt Lyranus intelligit.) Hæc veterum interpretatio eſt, ſeptuaginta interpretum, & Hieronymi,qui legiſſe videntur עינותם & verbum אסר idem valere quod יסר quod ſignificat corripere, putauerunt,vt contrà propter harum vocum affinitatem contingit יסר idem notari quod .אסר Similíque ratione אשר & ישר item אחד & יחד nonnunquam idem valent, atque etiam אסף & יסף. Libenter igitur hanc veterum interpretationem retinuerim, præſertim cùm ab alijs quibuſdam recentioribus probetur, Pagnino priore verſione,Caſtalione,Mercero, cuius hîc verba aſcribam. Cum alligabo eos,inquit,propter geminum peccatum ipſorum,&c. Alij עינותם ſulcos, alij oculos reddunt. Vtrúmq; ineptum eſt. Pagninus rectè ab עון id eſt, iniquitas, ducit. Hæc ille. Quòd verò dicit ſulcos & oculos ineptè reddi,de priore planè aſſentior: Videtur enim mihi non ſolùm ineptum,ſed loquutionis monſtrum, vt taceam hanc vocem עינות in ea ſignificatione nunquam reperiri. De poſteriore verò ita, vt eam tamen multò probabiliorem habeam quàm illam alteram : Coram oculis enim pœna inflicta grauior eſt,Eſa.13.16. Paruuli allidentur in oculis eorum. Deut.28.31. Oculis tuis videntibus bos tuus mactabitur,& alienis liberi tui tradentur.Iam verò coram duobus oculis hîc ſignificanter dici videatur.

Quemadmodum illud Catulli de Berecynthia & Atti, *Geminas eorum ad aures noua nunciat ferens.* Habet igitur hæc quoque interpretatio verisimilem sententiam. Verùm primam illam & antiquissimam, Græcam & Hieronymianam primam & antiquissimam habeo: Neque enim Tremelliana versio hîc mihi satisfacit, In duabus habitationibus, quia ערנת in ea notione non reperitur.

11 *Equitare faciam.*] Efficiam vt operibus suis summa cum spe futuræ frumenti copiæ, & magna cum pace securi ab hostium metu incumbant. Zachariæ 8.10. contrarium est, Exeunti & ingredienti nulla pax ab hoste. Ad opera verò rustica equis vel curribus vehi solere agricolas, notum est.

14 *Shalman.*] Vox truncata, pro Shalmanasar, qui huius prophetæ tempore rex Assyriæ fuit. Similia exempla alijs in locis occurrunt. Esa. 15. 2. Bamoth ponitur pro Bamoth Baal, & Chamath pro Chamath Dor, Iosuæ 19. 35. & Bahala 1. Par. 6. pro Bahalath beer, Iosuæ 19. 8. Sic priore vocis parte amputata dicitur Auen pro Bethauen, & Meon pro Beth meon. Apud Latinos & Græcos, voces nonnunquam ita truncari declarat Lipsius, epistola 19. lib. 1. Ennius, inquit, ille apud Festum.

Summus ibi capitur Medix occiditur alter.

Medix ibi est pro Medixtuticus: Quo nomine summus Oscorum magistratus vocabatur. Vocem dimidiatam pro tota vsurpauit. Quod illi familiare est. Hinc Ausonius.

Ennius vt memorat replet te lætificum gau.

Pro gaudium. Item

Vnde Ruinus ait diuûm domus altisonum cæl. Pro cælum.

Apud eundem Ennium Fabric. pro Fabricius legitur.

Strabo lib. 8. Hesiodus, Τὸ βριαρὸν βρῖ λέγει.

Epicharmus verò Τὸ λίθῳ λι. Συεχκὼ δὲ τὰς συεχκόας. Hęc ille.

15 *In aurora.*] Id est, statim, citò, vt Psal. 30. 6. Momentanea est ira eius: Vespere fletus est, at manè adest cantus.

Malitiam.] Malitiam malitiæ hîc summam malitiam vocat ea ratione, qua Deut. 10. 17. Dominus dominorum, summus dominus dicitur.

Caput

Caput II.

CVm puer Israel esset ‖ dilexi eum, & ex Ægypto ‖ accersiui filium meum.

2 Prout vocârunt eos, ita abierunt à conspectu illorum : Baalibus sacrificârunt, & sculptilibus adoleuerunt.

3 Ego verò Ephraimum ad ‖ gradiendum assuefeci, brachys eos suis accipiendo, neq; nouerunt me ipsos curauisse.

4 Funiculis humanis traxi eos, funibus amoris : & fui eis vt qui iugum subleuant maxillis eorum impositum, & cibum ei admoui.

5 Non ‖ reuertetur in terram Ægypti, sed Assyrius rex eius erit, quoniam renuerunt conuerti.

6 Et residebit gladius in ciuitatibus eius, & consumet ‖ diuinos eius, & ‖ deuorabit [eos] propter consilia eorum.

7 Populus meus suspensi hærent auersioni à me : quamuis ad excelsum reuocent eum, pariter non exaltat.

8 Quomodo te prodidero ô Ephraim ? dedero te ô Israel ? reddidero te vt Admam ? posuero te vt Seboimum ? se versat in me cor meum, simul æstuant ‖ viscera mea pœnitentia.

9 Non perficiam æstum iræ meæ, non perdam amplius Ephraimum : quia Deus ego ac non vir, in medio tui sanctus, neque ciuitatem inuasurus sum.

10 ‖ Iehouam sequentur tanquam leo ‖ rugientem. Ipse enim rugiet, & filij à mari trepidabunt.

11 Trepidabunt vt auicula ex Ægypto, & vt ‖ *columba è terra Assyriæ, & collocabo eos in domibus suis, dicit Iehoua.*

12 Circundederunt me mendacio Ephraimitæ, & dolo domus Israelis: Iuda verò adhuc cum Deo dominatur, & cum ‖ *sancto fidelis est.*

ANNOTATIO.

1 *Cum puer esset dilexi eum.*] Mercerus ita interpretatur, atque etiam Tremellius priore sua expositione. Rectè meo animo: Coniunctio enim sæpe abundat.

Accersiui] קרא sequente ל accersere sæpe significat, id est, vocare quidem, sed absentem, per nuncium. Genes. 31.4. Mittens accersiuit vxores suas in agrũ: multísq; alijs in locis. Ea notio hic optimè quadrat. Propheta hoc de vetere populo: Euangelista de Christo intelligit. Vtrumque verum, quia ille huius typus & figura hac in re erat. Deus Israelem per Mosem ex AEgypto accersiuit: Christum per angelum.

Cum puer esset.] Tempus enim liberationis à seruitute AEgyptiaca pueritiæ comparatur, cap. 2.15. vt diebus pueritiæ suæ cum ex AEgypto ascendit. Sic Christus in pueritia sua inde accersitus erat.

3 *Ad gradiendum assuefeci.*] Septuaginta, συνεπόδισα: Castalio, pedaui. Plerique omnes interpretes ita accipiunt, quasi pedetentim puerum ad gradiendum assuefacere significet, & docere incedere. Similitudo à nutrice, quæ vt Statius 2. syluarum probat, amore sæpe ipsos parentes superat.

Quid referam altricum victos pietate parentes? &c.

Accipiendo eos.] Id est, quemq; eorum brachijs suis, more eorum qui paruulos in primo incessu dirigunt. Ducentes enim per brachia, tollunt & sustinent. Ita קחם erit infinitum anomalum: quod ipse Quimquius in radicibus suis indicauit.

5 *Non reuertetur.*] Videtur primo aſpectu ſententia cõtraria ei quæ præceſſit,cap.9.3. Redibit Ephraim in AEgyptum, & in Aſſyria pollutum comedet. Verum ibi de voluntaria quorundam in AEgyptum profectione loquutus eſſe videtur : hîc de coacta totius populi deportatione, quæ ab Aſſyrijs,non AEgyptijs facta eſt.

6 *Diuinos eius.*] Ita בדים interpretor,vt Iere. 50. 36. vbi de hominibus conſilio & intelligentia pollentibus vſurpatur Gladius irruet in principes eius, ſapientes eius,diuinos eius,fortes eius.Huic interpretationi fauet finis verſus, propter conſilia eorum.

Deuorabit.] Subauditur eos,vt cap.2.7.&4.12.

8 *Viſcera mea pœnitentia.*] Eò libentiùs hanc interpretationem Tremellij probârim,quòd ſimilis loquutio reperiatur,Gen.43.30 & 1.Reg.3.27.æſtuauerunt viſcera eius.

10 *Iehouam ſequentur.*] Hoc eſt,Chriſtum quaſi ducem in ſpirituali eccleſiæ liberatione præeuntem ſequentur. Eſa. 52. 12. Præiturus eſt vobis Iehoua, collecturúſque vos Deus Iſraelis.Vide Mich.2.12,13.

Rugientem.]Leones capta pręda rugire ſolẽt voce ad mugitum conformata,vt eo ſono audito,alij leones ad eiuſdẽ prædæ participationem confluant,Authore Plutarcho in libro de induſtria animalium. Sic Chriſtus potenti Euangelij voce, gentes omnes ad æternæ vitæ veræq; beatitudinis ſocietatem vocat. Vide Ioel.3.16.

11 *Quaſi columba.*]Quàm velociſſimè.Vide Pſal. 55. 7. & Eſa.60.8 vbi eccleſia comparatur columbario.

12 *Cum ſancto.* Hoc eſt,Deo : קדושים enim pluraliter Deum ſanctum deſignat, pro more huius linguæ,plurali pro ſingulari poſito. Sic Prouerb.9.10. Initium ſapientiæ eſt timor Iehouæ,& cognitio קדושים ſanctorum, id eſt,Dei ſanctiſſimi,eſt intelligentia. Cum enim אלוה & pluraliter אלוהים Deus dicatur : quid obſtat quò minùs ſimili ratione קדוש & קדושים vocetur, cum hoc non minùs quàm illud vnum ex Dei nominibus ſit? Apoc. 3.7. Hæc dicit ὁ ἅγιος ſanctus ille & verax. Eſa.57.15. cuius nomen eſt ſanctus. Habac.3.3. Deus ex

Temane veniet, & ſanctus ex monte Paranis. Vtrúmque pluraliter coniunctim de vno Deo vſurpatur, Ioſuæ 24.19. אלוהים קדושים הוא Dij ſancti ipſe, pro Deus ſanctus. Huius generis illud eſt, Deut.10.17. Iehoua Deus veſter eſt Domini dominorum, & Malach. 1. 6. אבי אדונים Si Domini ego, vbi timor meus. Valet vtrobíq; Dominus. Ité illud Eſa.54.4. Coniuges tui, factores tui Iehoua, pro coniux, factor. Hoc igitur extra controuerſiam pono, hoc nomine plurali Deum intelligendum eſſe, vt eiuſdem ſententiæ repetitio ſit. Quimquius ex Hebræis ita iudicauit, & eandem vocem Aben Ezra, Prouerb.30.3. eodem modo exponit. Oecolampadius etiam hîc ad Deum refert. Quod autem initio verſus dicit ſe circumuentum eſſe, humanitus dictum eſt, ad fraudulentos hypocritarum mores notandos, qui fictam probitatis ſpeciem præ ſe ferebant, vt Pſal.78.36. Deceperunt eum ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. Deus enim reuera falli nõ poteſt, quia ſecretas ipſius cordis cogitationes nouit.

Circumuenire hîc eſt pro decipere. Tralatio à venatoribus, vt apud Latinos.

Caput 12.

EPhraim ventum ‖ depaſcit, & Eurum ſectatur, toto die mendacium & vaſtitatem multiplicat: Nam fœdus cum Aſſyrio pangunt, & ‖ oleum in Ægyptũ defertur.

2 Eſt verò lis Iehoua cum Iuda, & in Iacobum ſecundum vias eius animaduertet, ſecundum actiones eius reddet ei.

3 In vtero fratrem calcaneo tenuit, & robore ſuo principem ſe geſſit cum Deo.

4 Principem, inquam, ſe geſſit cum angelo, & potentia valuit, ‖ fleuit & orauit eum, Bethele inuenit eum,

eum, & ibi loquutus est nobiscum.

5 Atq; Iehoua Deus exercituum: Iehoua ‖ monumentum eius est.

6 Tu verò ad Deum tuum conuertere, benignitatem & iudicium obserua, Deúmq; tuum expecta iugiter.

7 ‖ Mercator, in manu eius sunt lances doloſæ, fraudare amat.

8 Dicítq; Ephraim, vtiq; ‖ ditatus sum, assequutus sum opes mihi: In omnibus laboribus meis non inuenient mihi prauitatem quæ peccatum sit.

9 Ego verò Iehoua Deus tuus inde à ‖ terra Ægypti: rursus collocabo te in ‖ tentorijs, vt diebus solennitatis.

10 Et ‖ loquar per prophetas, egò q; ‖ visionẽ multiplicabo, ac prophetarum opera similitudinibus vtar.

11 An in Gilead iniquitas? tantummodo vanitas fuerunt: Galgale boues sacrificant, etiam altaria eorum quasi ‖ acerui sunt per porcas agrorum.

12 ‖ Fugit autem ‖ Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israel propter vxorem, & propter vxorem ‖ custodiuit [oues.]

13 Et per prophetam eduxit Iehoua Israelem ex Ægypto, & per prophetam seruatus est.

14 Acerbè irritauit Ephraim [‖ Deum:] ideo ‖ sanguinem eius super eum relinquet, probrúmq; ei suum rependit Dominus ipsius.

ANNOTATIO.

1 Depascere ventum est vesci, ali, pasci vento. Quibus verbis

verbis significat eorum fiduciam quam in externis præsidijs posuerant, vanam & inutilem esse, instar venti qui pro cibo frustra sumitur. Proximorum etiam eadem mens videtur, quibus eos Eurum sectari dicit, vt Iobi 15.2. An sapiens scientiam venti loquitur, & Euro ventrem suum implet? id est vana concipit & profert? Idem hîc est sectari Eurum, quod illic ventrem implere Euro.

Oleum in AEgyptum.] Pro munere ad fœdus ineundum. Verbum enim וּבַל ita quandóq; vsurpatur. Esa. 18. vlt. afferetur munus Iehouæ, וּבַל & hîc cap. 10. 6. In Assyriam וּבַל deferetur munus regi Iareb. De istorum populorum præsidio quæsito, vide cap. 7. 11. Oleo verò optimo Israelitas abundâsse apparet, Esech. 27. 17. Israelitæ mercatores tui erant melle & oleo.

4 *Fleuit & orauit eum.*] Hebraismus, quem Latini vno implorandi verbo declarãt. Implorare enim est cum fletu rogare, interprete Festo in endoplorato. Cicero Verrina 7. Si te acerba illius imploratio & vox miserabilis non inhibebat, ne ciuium quidem Romanorum fletu commouebâre? Suppliciter & vehementer contendentes, cum precibus lachrymas & ploratum miscere solent, Esteræ 8. 3. Fleuit, & precata est eum. 1. Sam. 1. 10. Supplicauit Iehouæ & fleuit. Videtur Iacobus lachrymis à Deo benedictionem & opem contra fratrem suum à quo vehementer timuit, postulasse. Qui enim hîc angelus dicitur, Deus erat, vt Genes. 32. 28, & 30. versibus apparet. Hic etiam versu antecedente Deus dicitur. Opem contra fratrem supplex rogauit, Genes. 32. 11. Benedictionem verò 26, 29. versibus eiusdem cap.

5 *Monumentum eius.*] Idem quod Amos 9. 6. Iehoua nomen eius. Sic Psalm. 30. 5. monumentum sanctitatis nomen sanctum vocatur.

7 כְּנַעַן siue mercatores notet, vt Esa. 23. 7. siue Israelitas generaliter qui in terra Cananæorum habitauerunt, vt Esa. 19. 18. Nominatiuus absolutus est, vt cap. 9. 11. pro quod ad Mercatorem vel Cananæum attinet.

8 *Ditatus sum.*] Talis est iactantia Laodicentium ecclesiæ,

cleſiæ, Apoc. 3. 17. Dicis, diues ſum & nullius egeo.

Aſſequutus ſum opes.] Opulentiæ ſuæ cauſam ſibi, non Deo tribuit, vt cap. 2. 5, 8. verſibus. אָוֶן verò hîc eſt pro חָיִל opes, affinibus literis commutatis, vt Ieremiæ 25. 3. אשבים ponitur pro חשבים. Similíq; ratione AEoles ἠμέρχ ἥλιος ὑμεῖς dicunt pro ἡμέρχ ἥλιος ὑμεῖς. Inuenire autem opes hîc eſt pro comparare vel aſſequi, vt Tremellius tranſtulit. Sic Terentius in Heauton. *Labore inuenta mea cui dem bona.* Atque in eadem fabula, *Atque ibi ſimul rem & gloriam armis belli repperi.*

9 *A terra AEgypti.*] Et tunc me Deum tuum tui liberatione declaraui. Exodi 20. 2. Ego Iehoua Deus tuus, qui te eduxi, &c. & iam inde ab eo vſque tempore Deus tuus fui continuis beneficijs. Tale illud eſt, cap. 10. 9. à diebus Gabaæ peccaſti. Et Eztræ 9. 7. à diebus patrum noſtrorum, &c.

In tentorijs.] Spiritualem in Chriſto præſtandam redemptionẽ populi promittit typo veteris eccleſiæ figuratam, vt cap. 2. 14, 15. Et canet ibi vt diebus, &c.

Vt diebus ſolennitatis.] Hoc eſt, hilariter & ſecurè magna populi frequentia, vt tribus illis anniuerſarijs ſolennitatibus ſub lege fieri ſolitum eſt. Deut. 16. 14, 16. verſibus. Sic Lament. 2. 7. vocem edunt in domo Iehouæ vt die ſolennitatis.

10 *Loquar.*] Per futurum cum Caſtalione hæc verba interpretor, vt futuræ illius liberationis promiſſio de qua verſu præcedente, hîc continuetur, eximijs beneficijs in Chriſto eccleſiæ tunc conferendis illuſtrata.

Viſionem multiplicabo.] Quàm rectè hoc Chriſti regno & prædicationi euangelij conueniat, oſtendit Ioel 2. 28. effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, filij veſtri prophetabunt, ſenes ſomniabunt ſomnia, Iuuenes viſiones videbunt. Nam multò plenior & clarior doctrinæ cœleſtis cognitio ſub Chriſto, quàm ſub legalibus vmbris erat.

Similitudinibus vtar.] Diſertè, familiariter, & perſpicuè docebo.

11 *Tanquam acerui.*] Id eſt, quam plurima, Hebraicè גלים

בגלים alluſione facta ad nomen גלגל.

12 Ad hiſtoriam de Iacobo interruptam redit. Vide verſu 4.

Et fugit.] In Syriam eum fugiſſe metu fratris, Gen. 35.1. & 27.44. docemur. Ibi propter vxores ſuas ſeruiuit Labani, Geneſ. 29.20,28.

Cuſtodiuit.] Subintelligo oues vel gregem, vt Geneſ. 31. 30. paſcam oues tuas, cuſtodiam, ſupple eas. Hoc modo paſtor ouium abſolutè שומר id eſt, cuſtos dicitur, 1. Sam. 17.20.

14 *Deum.*] Hanc vocem ſuppleo, vt Pſal. 106. 29. irritauerunt factis ſuis *Deum*, & 2. Regum 23.19. Quas fecerant ad irritandum *Deum*. Eiuſdem nominis poſt idem verbum ellipſis eſt.

14 *Sanguinem eius ſuper eum relinquet.*] In ſuo reatu manere patietur, ne ab vltione & pœna immunis ſit. Qui enim reus cædis eſt, & propterea pœnæ obnoxius, ſuper eum ſanguis eſſe dicitur. Ionæ 1.14. ne ponas ſanguinem innoxium ſuper nos. Hinc Exodi 20.7. non mundabit, pro non relinquet impunem.

Caput 13.

CVm eloqueretur Ephraim ‖ tremor erat, extulit ſe in Iſraele : In Baale verò deliquit & mortuus eſt.

2 Atque nunc pergunt peccare, faciúntq; ſibi fuſilia ex argento ſuo ſecundum intelligentiam ſuam idola, opus artificum quodq;, de quibus dicunt ‖ homines qui ſacrificant, vitulos ‖ oſculantor.

3 Idcirco erunt vt ‖ nubes matutina, & vt ros manè abiens : vt palea [quæ] turbine ex area abripitur, & velut fumus ex camino.

4 Ego

4 *Ego verò Iehoua Deus tuus inde à terra Ægypti: Neq; præter me Deum* ‖ *noueris, nullúsq; præter me seruator est.*

5 *Ego te noui in deserto, in terra* ‖ *torrida.*

6 *Prout pastus eorum fuit saturati sunt, saturati sunt &* ‖ *elatus est animus eorum: Idcirco obliti sunt mei.*

7 *Itaq; ero illis quasi Leo: velut pardus in via* ‖ *Assyriæ.*

8 *Occurram eis vt vrsus orbatus, &* ‖ *clausum cordis eorum lacerabo: & exedam eos ibi tanquam Leo, bestia agri diffindet eos.*

9 *Perdidit te Israel, quia in me auxilium tuum.*

10 ‖ *Vbinam rex tuus iam, vt seruet te in omnibus vrbibus tuis? & iudices tui de quibus dixisti, da mihi regem & principes?*

11 *Do tibi regem in ira mea, & tollo in excandescentia mea.*

12 ‖ *Illigata est iniquitas Ephraimi:* ‖ *repositum est peccatum eorum.*

13 ‖ *Dolores parturientis euenient ei: filius est insipiens, nam tanto tempore non maneret in ruptura filiorum.*

14 *E potestate Orci redimam eos, à morte vindicabo eos: ero* ‖ *pestis tua ô mors, exitium Orce tuum, pœnitentia* ‖ *occultabitur ab oculis meis.*

15 *Quia ipse inter fratres* ‖ *diuidet: veniet* ‖ *Eurus ventus Iehouæ à* ‖ *deserto ascendens, & exarescet scaturigo eius, ac fons* ‖ *eius siccabitur, is diripuerit thesaurum omnium instrumẽtorum desiderabilium.*

16 *Desola-*

16 Desolabitur Samaria, quòd rebellârit contra Deum suum: gladio cadent, ‖parvuli eorum collidentur, & prægnantes eorum diffindentur.

ANNOTATIO.

1 *Tremor erat.*] Populus eum reuerebatur: ad summam enim dignitatem euectus erat. Sic Danielis 5. 19. ob amplitudinem eius quam Deus ei dederat, omnes populi tremebant ac timebant à conspectu eius. Iosuæ 4. 14. Iosuam in oculis ipsorum à Iehoua magnificatum Israelitæ timuerunt, vt olim Mosem timuerant. Seneca in Thyeste.

Ille qui donat diadema fronti,
quem genu nixæ trenuere gentes,
anxius sceptrum tenet.

2 *Sacrificantes hominum.*] Sic enim Hebraicè legitur. Hoc est, qui ex hominibus sacrificabant, vel sacrificantes homines. Sic Esa. 29. 19. egeni hominum gaudebunt in sancto Israelis, & alia similia leguntur.

Osculantor.] Idololatræ in honoris signum idola sua osculari solebant. Hinc 1. Regum 19. 18. Reseruaui mihi septies mille, quorum os Baalem non est osculatum.

3 *Tanquam nubes & fumus.*] Iisdem rationibus Seneca in Troade momentaneam breuitatem arguit.

Vt calidis fumus ab ignibus
Vanescit spacium per breue sordidus:
Vt nubes grauidas quas modò vidimus,
Arctoi Boreæ dissipat impetus:
Sic hic quo regimur spiritus effluit.

4 *Nouisti.*] Hoc est, expertus es, vt ea monstrant quæ proximè sequuntur. quale illud videtur, Deut. 13. 2. Deos alienos quos non noueras.

5 *Torrida.*] Sicca, & ardore exusta. Tremellius cum ita explicat, terra inflammationum, id est, torridissima, תלאורות refert ad להב flamma. Quod probabile est: Nam & æstus loca arida torrefaciens, comparatur flammæ. Ioel 1. 19. ignis deuorauit pascua deserti, & flamma

ma inflammauit arbores agri, aruerúntq; aluei aquarum. Et hæ literæ א & ה permutantur, vt in versum 8.capitis 12. annotauimus. Arabicè verò etiam locum torridum & siccum dici לאבה author est Rabi Iona. Quimquius etiam hoc nomine intelligit חררים ויבשים מקומות לאב. loca torrida & ficca, in radice.

6 *Elatus est animus eorum.*] M. Cato apud Gellium, lib. 7.cap.3. Scio, inquit, pleríſq; hominibus rebus secundis atq; prolixis superbiam & ferocitatẽ augescere. Menander.

Τ' αφρόφρονον γίνεθ' ἡ λίαν τυφὴ
Ο', τι πολῖτος ἐξώκειλε τον κεκτημένον
Εἰς ἕτερον ἦθος, ὡς ἐν ᾧ τὸ πρόσθεν ἦν.

Verum hîc illud erat. Saginatus Ieshurun recalcitrauit, & vilipendit rupem salutis suæ,

7 *In via Assyriæ.*] Nihil dubito quin אַשּׁוּר hîc idem valeat quod: אֲשׁוּר quia breuis vocalis in longam cõmutatio Hebræis familiaris est, vt חֲתֻל pro חֲתֻל & אֲקֻל pro אֲקֻל præter alia multa. Græci interpretes, & Hieronymus ita intellexerunt: Atque ex recentioribus Castalio, & Mollerus. Caluinus quoque etsi dubitatin cõtextu, tamen nomen Assur posuit, quasi hanc sententiam magis probârit. Sensus est, Deum illis in Assyriam opem quæsitum profecturis obstiturum esse, consentaneus ille quidem capitis 5. versui 14. Profectus est Ephraim ad Assyrium, qui eum iuuare non poterit. Ego enim illi quasi Leo &c. Sic cap.7.12. euntibus in Assyriam se rete expansurum minatur Deus. Iere.2. Quid tibi in via Assyriæ? Castigabit te malitia tua, & defectio tua corripiet te.

8 *Clausum cordis eorum.*] Caluinus pericardion intelligit, meo iudicio rectè. Est enim pericardion membrana siue pellis cor vndiq; tegens, atque inde clausum cordis appellatur, quia cor inclusum continet, vt ratione simili à medicis capsula & inuolucrum cordis.

10 *Vbinam rex tuus iam.*] Tremellius vertit, sum rex tuus,

us, vt אֶהְיֶה sit futurum ab הָיָה fuit. Mihi verò perſuaſiſſimum eſt אֶהְיֶה per metatheſin literarum poſitum eſſe pro אֶרְאֶה vbi. Abraham Balmenſis in Grammatica ſua id affirmat. Item Mercerus ad hunc locum. Caſtalio idem ſenſit,& veteres illi,Hieronymus, Chaldæus, Græci. Huc accedit quod אַרְפְּרֶה hîc ſequitur, vox quæ huic interrogationi אַיֵּה tamiliariter adiungi ſolet. Iudicum cap. 9. 38. אַיֵּה פִּיךָ אֲשֶׁר אָמַרְתָּ vbi nunc os tuum? Iobi 17.15. אַיֵּה אֶפֶס תִּקְוָתִי vbi iam ſpes mea? Eſa. 19. 12. אַיֵּה חֲכָמֶיךָ vbi iam ſapientes tui? Quod verò ad illam literarum tranſpoſitionẽ attinet, tritiorem eam eſſe in Hebræis dictionibus notum eſt,quàm vt de ea ſit neceſſe dicere.

12 *Illigata eſt.*]Metaphora ſumpta à pecunia, qua Deum memorem fore eorum iniquitatis innuit in vindictam. Vt enim pecunia marſupio incluſa & illigata aſſeruari ſolet: ita in mente Dei iniquitas ſeruatur, vt ſuo tempore pœnam tandem meritam rependat. Cap.99.Recordabitur iniquitatis eorum,peccata eorum animaduertet. Pſal. 130.3. Si iniquitates ſeruaueris, quis conſtiterit? Eodem tropo vſus eſt Iobus, cap.14. 17. Obſignatum in crumena eſt ſcelus meum, &c. Sic Math. 16. 19. ligari peccata dicuntur,quæ non remiſſa in pœnam retinentur.

Repoſitum eſt peccatum eorum.] Idem declarat alia metaph. ſumpta à theſauro recondito, vt apud eundem Iobum 21.19.Reponet eius iniquitatem filijs ipſius.Haud diſſimile illud Virgilij AEneid.1.

Manet alta mente repoſtum
Iudicium Paridis ſpretæq; iniuria formæ.

13 *Dolores parturientis.*] Similitudine ſumpta à puerpera declarat anguſtiam Iſraelitis futuram, vt Iere.30.6. Quare video vniuſcuiuſque manus ad lumbos ſuos quaſi parturientis? Et Eſa.13.8. Tormina corripient eos,quaſi puerpera dolebunt. Sunt verò puerperij dolores graues, ed in rutura fœtus,& poſt rupturam ſi in vuluæ anguſtijs hæſerit,longè acerbiſſimi.Qua de re vide 2. Regum 19.3.

14 *Peſtis.*]

14 *Pestis.*] Quidam דבריך plurale nominis דבר quod verbum significat, esse putant. Verùm quin hîc perniciem vel pestem notet, nemo opinor dubitauerit, qui hunc locum diligenter expenderit cum Psal. 91. 6. collatum, vbi similiter cum nomine קטב exitium vel luem notante, iungitur דבר pestis. Quod ad pluralem numerum spectat, existimo ἀριθμῷλως pro singulari positum esse: Cuius generis alia reperiuntur.

Occultabitur.] Abolita morte ita meos redimam, vt me huius gratiæ nunquam pœnitere possit. Sunt enim eius dona ἀμεταμέλητα. vide annotationem Tremellij, qui mihi rectiùs quàm alij hunc locum intellexisse videtur, & præcedentibus promissionibus conuenientiùs exposuisse.

15 *Diuidet.*] ויפריא Hieron. & Græci ita verterunt. Quasi sit pro ויפליא diuidet, separabit: Quam ego sententiam damnare non audeo. Primùm enim solens ista loquutio est, diuidere inter. Exodi 9. 4. Separabit inter pecudes. Ruth. 1. 17. Mors tantùm inter nos separabit. Prou. 18. 18. Inter fortes diuidit. Deinde, tanta est inter has literas l & r vicinitas, vt propterea inter se alijs in locis Hebrææ scripturæ simili ratione permutentur. Iobi 37. 15. מפלשי est pro מפרשי & ibi cap. sequente, vers. 32. מזרות pro מזלות Vsitatam esse hanc mutationem vtarum literarum, pluribus exemplis disputat Drusius lib. 1. quæstionum, quæstione 69. Hæc verò mihi videtur huius loci sententia, Deum discrimen positurum inter Iudæos & Israelitas, illos seruando, hos perdendo, vt cap. 1. 7. Israelitarum non miserebor, at Iudæorum miserebor, eóſq; conseruabo.

Fons eius.] Ephraimi, de quo versibus 12. & 13.

Eurus.] Assyrius, ait Tremel. rectè. Solet enim hostis Euro comparari. Esech. 19. 12. Eurus arefecit fructum eius.

A deserto.] Magna pars Arabiæ desertæ ab oriente Iudææ inter Babyloniam & Iudæam interiecta fuit.

16 *Collidentur paruuli, & grauidæ diffindentur.*] Ducum enim crudelitatem eoúsq; nonnunquam procedere, vt infantes allidant, & prægnantes mulieres diffindant, quò

fœtum ex earum vtero extractum perdant, docent nos illæ lachrymæ Elizei 2. Reg.8.11. Quarum hæc causa redditur, Quia noui te paruulos allisurũ,& grauidas diffissurum. Etiam illa quæ scribit Horatius, Achillem fuisse facturum nisi ante Troiam captam perijsset,4.car.Oda.6.

Ille non lætam Priami choreis
falleret aulam:
Sed palam captis grauis heu nefas,heu
nescios fari pueros Achiuis
Vreret flammis,etiam latentes
matris in aluo. neque infantibus neq; materno vtero inclusis à sæuo victore parci apertè testantur.

Caput 14.

*RE*uertere *Israel ad Iehouam Deum tuum: quia propter iniquitatem tuam corruisti.*

2 ‖ *Accipite vobiscum verba, & reuertimini ad Iehouam: dicite ei, Omnem condona iniquitatem, & acceptum confer bonum, & rependemus iuuencos labijs nostris.*

3 *Assyrius non seruabit nos,* ‖ *equis non vehemur, neque dicemus ampliùs, Deum nostrum, opus manuum nostrarum,quia per te misericordiam consequitur pupillus.*

4 *Curabo auersionem eorum,* ‖ *sponte eos amabo: quia auersa est ira mea ab eo.*

5 *Ero instar roris Israeli,florebit vt lilium,*‖*mittétq; radices suas vt Libanus.*

6 *Diffundent se rami eius, & erit* ‖ *decor eius quasi oliuæ,& odor eius quasi Libani.*

7 *Reuertentur sedentes in vmbra eius,in vitam*

producent

producent vt frumentum, & florebunt quasi vitis: ‖ memoria eius quasi vinum Libani.

8 Ephraim, quid mihi amplius cum idolis? ego exaudiam & contemplabor eum, ego tanquam abies virens, ex me fructus tuus existit.

9 ‖ Quis est sapiens vt intelligat ista? prudens vt cognoscat ea? Rectæ enim sunt viæ Iehouæ, & iusti ambulabunt in eis, defectores autem in eis offendent.

ANNOTATIO.

2 *Accipite.*] Accipere secum verba dicuntur, qui docentur quæ loquuturi sint. Vt simili ratione poni verba dicuntur in eorum ore qui dicendis instruuntur. 2. Sam. 14. 3. Posuit verba in ore illius. Hîc igitur precationis formulam illis dictat.

3 *Equis non vehemur.*] Vt antè, spem salutis in eis collocantes. Esa. 31. Væ descendentibus in AEgyptum ad auxilium, & ijs qui equis ac curribus confidunt. Mich. 5. 10. inter alia terrena præsidia quæ excisum iri declarat, equos numerat. De quorum vanitate, Dauid Psal. 33. 16. Mendax est equus ad salutem.

4 *Sponte.*] נדבה enim per ellipsin præpositionis ב aduerbij vim habet, idémq; valet quod בנדבה Psal. 54. 8. vltro, sponte, id est, prompta animi voluntate, & gratuitò, sine illorum merito. Nam vt Iobi 41. 2. dicitur, Quis Deum beneficio prouocauit vt ei rependeret? vide epist. ad Rom. 9. 11. & Ephes. 2. 8. A præclara ista sententia, Tremel. & Iunius contra tot interpretum consensum sine causa discedunt. Est enim simplex, & Hebræi sermonis consuetudini congrua recepta illa interpretatio: Ea verò quam hi illius loco introduxerunt, alienior & coactior.

5 *Mittet radices suas.*] Ad verbum, incutiet radices suas, hoc est, defiget, mittet. Metaph. à rebus quæ incutiendo altiùs penetrant, longiúsq; mittuntur & porriguntur. Nam

חבט non solum cædere & percutere, sed aliquando incutere significat. 1. Sam. 2. 14. incussit in labrum. & ibidem 19. 10. ויך incussit hastam in parietem. Idem igitur hîc dicitur, quod Ierem. 17. 8. ישלח שרשיו mittet radices suas, quo modo Latini loquuntur. Græcisq; μιζοβολεῖν idem significat. Declaratur fœlix ecclesiæ status, similitudine sumpta ab arboribus radicatis, patulis, speciosis, odoriferis, quæ omnia arbores commendant. Radicatio, firmitatem: ramorum diffusio, propagationem: decor oleæ, pulchritudinem & gloriam, atque eam quidem constantem & continuam, quia oliua semper viret: odor, iucunditatem & amabilitatem notat.

6 *Decor quasi oliuæ.*] Oliua arbor decôris dicitur, Leuit. 23. 40. & ὡραία, id est, speciosa, decora, Ecclesiastici 50. 11.

7 *Memoria eius.*] Fama illius laudatissima erit, & gratissima ac iucundissima recordatio nominis illius, vt vinum Libani sapore & odore iucundissimum est. Simili fere ratione, Cant. 1. 3. ecclesia, cùm Christi dulcem esse memoriam significat, comparat eius nomen fragranti oleo. Erat autem vinum Libani præstantissimum, vt probat hîc Quimquius testimonio cuiusdam Asaphi medici, qui scripsit vinum Libani, Hermonis, Carmeli, montium Israelis, & Hierosolymæ & Caphtoris, odore, sapore, medicina, reliquis omnibus antecellere. Plinius etiam, lib. 14. 7. cap. vinum Tripoliticum, Tyrium, Berytium laudat: quæ loca Libano vicina erant. Denique Athenæus, lib. 1. Dipnos. 26. & 27. capitibus de præstantia vini Phœnicum narrat: Libanus verò in Phœnicia erat.

9 *Quis sapiens.*] Conclusio est, qua propheta hortatur bonos ad intelligentiam doctrinæ suæ, à fructu quem inde percepturi sint, nempe fœlici & expedito ad verã beatitudinẽ itinere, contraria illo quidem improborũ hominum ruina illustrato. Eandem Sirachides sententiã habet, cap. 39. 28. Viæ eius sunt rectæ sanctis, similitérq; iniquis offendiculo. Est verò ista hortatio eleganti exclamatione figurata, vt maiorem vim habeat. Quis sapiens, &c. Ita enim

hortantes

hortantes & optantes aliquid fieri loquuntur. Cyrus apud Xenophontem lib. 3. eruditionis Cyri, Τὶς ἰφίπ; τὶς ἀγα- θὸς; τὶς πρῶτος δώσει κατακαλεῖ; Similem huic interrogationem habes in fine Psal. 107. quis sapiens vt obseruet ista? Item Ierem. 9.11. quis sapiens vt hoc intelligat? &c.

IOEL.

Cap. 1.

VErbum Iehouæ quod fuit ad Ioelem filium Pethuelis.

2 Audite hoc ô ‖ senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: An fuit hoc diebus vestris, siue diebus ‖ auorum vestrorum?

3 De eo filijs vestris narrate, & filij vestri filijs suis, filiiq; eorum progenieialteri.

4 Reliquum erucæ comedit locusta: reliquum locustæ comedit ‖ melolontha: ac reliquam melolonthæ comedit bruchus.

5 Expergiscimini ebriosi & flete, & vlulate omnes vini potores: propter mustum, quòd excisum sit ab ore vestro.

6 ‖ Gens enim ascendit contra terram meam robusta & innumera: dentes eius ‖ dentes leonis sunt, & molares ‖ leonis maris ei.

7 *Vites meas in vastitatem redegit, & ficus meas in decorticationem, omnino nudauit eas: ac proiecit, albi facti sunt rami eius.*

8 *Eiula vt ‖ virgo accincta sacco, propter maritum adolescentiæ suæ.*

9 *Excisum est munus & libamen à domo Iehouæ, lugent sacerdotes ministri Iehouæ.*

10 *Vastatus est ager, luget terra: quia vastatum est frumentum, erubuit mustum, languit oleum.*

11 *Erubescunt agricolæ, eiulant vinitores propter triticum & propter hordeum, quia periit messis agri.*

12 *Vitis erubuit, & ficus elanguit, malus punica, etiam palma, & malus, omnes arbores agri aruerunt, quia pudefactum est gaudium à filijs hominum.*

13 *Accingite vos & plangite (ô sacerdotes) eiulate ministri altaris, venite, pernoctate in cilicijs ministri Dei mei: quia cohibetur à domo Dei vestri munus & libamen.*

14 *Indicite ieiunium, proclamate ferias, congregate senes, [&] omnes habitatores terræ, in domum Iehouæ Dei vestri, & clamate ad Iehouam [dicentes.]*

15 *Ah ah diei, Nam propinquus est dies Iehouæ, & quasi vastatio ab omnipotente aduenit.*

16 *Nonne coram oculis nostris cibus excinditur, è domo Dei nostri laticia & exultatio?*

17 *Mucida facta sunt fata sub glebis suis, desolatæ sunt cellæ, destructa sunt horrea, quia erubuit frumentum.*

18 *Quàm*

18 Quàm ingemiſcit iumentum? perplexa ſunt armenta boum, eò quòd nullum ſit eis paſcuum, etiam greges ouium deſolati ſunt.

19 Ad te Iehoua clamabo, quia ‖ ignis conſumpſit paſcua deſerti, & flamma inflammauit omnes arbores agri.

20 Etiam beſtiarum agri quaq; glocitat ad te, eò quòd exaruerint aluei aquarum, & ignis abſumpſerit paſcua deſerti.

ANNOTATIO.

Septuaginta interpretes, teſte Hieronymo, hoc ordine minores prophetas numerauerunt. Primùm Oſeam poſuerunt, tum Amoſum, deinde Micheam, poſt eum Ioelem: Hunc verò Abdia cum reliquis ſequuti ſunt. Idem eſt eorum ordo, 4. Ezræ, capite 1. verſu 39. Ioele Micheæ poſtpoſito. Ob eam fortaſſe cauſam ab illis id factum eſt, quòd hunc prophetam prioribus illis poſteriorem iudicauerunt cum veteribus Hebræis, qui cum Nahumo & Habacuco eum prophetaſſe tempore Manaſſis affirmant. Diſperſionis Iſraelitarum & diuiſionis terræ mentionem facit capitis vltimi, verſu ſecundo: Ex quo veriſimile fit eum poſt abductas decem tribus vaticinatum eſſe. Declarat verò calamitates quæ authore Deo Iudæis euenerant quaſi grauioris miſeriæ prænũcias, niſi reſipiſcant. vide verſum 15. primi cap. & cap. 2. 25.

2 *Senes.*] Tales enim propter longam multorum annorum experientiam, huius rei nouitatis, de qua interrogat an ſimilis vnquam diebus ipſorum, aut patrum ſuorum contigerat, aptiſſimi iudices erant. Deut. 32. 7. recordare dies ſeculi, interroga ſenes vt dicant tibi.

Auorum.] Vox Hebræa אב propriè patrem ſignificat: aliquando verò & auum. Geneſ. 32. 10. Dixit Iacob, Deus אבי אברהם i. aui mei Abrahami. Iam verò maiores

aui Latinè dicuntur, vt posteri nepotes. Ouid. 5. Fastorum.

Lucémq; Remuria dixit
Illam, quæ positis iusta feruntur auis.

4 *Melolontha.*] Vox Hebræa ילק insecti genus notat, numerosum, Psal. 105. 34. herbis & frugibus noxium, vt ex hoc loco videre licet, hirsutum, Ierem. 51. 27. alatum, Nahum. 3. 17. vbi volatus ei tribuitur. Alij Bruchum interpretantur: Verùm cùm Bruchus careat alis, vt Hieronymus in illum locum Nahumi, aliíque testantur, ילק verò animalculum alatum notet: vt illorum interpretatio vera sit nescio. Tremellius vbiq; hoc nomine melolonthan intelligit. Est autem melolontha scarabei genus, quod alio nomine, teste Hesychio, χρυσοκάνθαρος, hoc est, aureus scarabeus, nominatur. A quibusdam verò ea animalcula hac voce designari existimantur, quæ Galli *Hauetons* vocant: ea autem ab Anglis appellantur *Dors*. Pagninus in radicibus suis de hoc nomine scribens, Ego, inquit, puto genus esse locustæ, quod sæpiùs vidi in Gallia, instar crabronis, sed minoris quantitatis, alatum, quod arborum folia maxima multitudine vastat & depopulatur.

6 *Gens enim.*] Gens propriè hominum multitudo dicitur, atque inde sumpta tralatione numerosum hic insectorum collectorum agmen significat: Quo modo etiam exercitus postea nominatur, cap. 2. 11. & populus ibidem versu 2. Eadem metaphora, Homerus 2. Iliad. de auibus & apibus vtitur. Ὀρνίθων ἔθνεα πολλὰ. Item, ἔθνεα μελισσάων.

Dentes leonis.] Qui ad prædam discerpendam & comminuendam validi sunt. Anacreon.

Φύσις λέοντα τοὐρίοις,
Ὀπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
Ποδωκίλῳ λαγωοῖς,
Λέοντι χάσμ' ὀδόντων. Apocal. 9. 8.

Talis locustarum descriptio est, dentes leoninis dentibus similes habentium.

Leonis maris.] לָבִיא leonem masculum grandiorem

significare

significare puto, eò quòd inde vox fœminina לְבִיָּא ad leænam denotandam formatur. Cùm enim in hominibus אִישׁ אִשָּׁה in capris שָׂעִיר שְׂעִירָה sexum distinguant: Quid ni similiter in leonibus לָבִיא לְבִיָּא? Hieronymus Græcos interpretes sequutus hîc catulos leonis intellexit. Sed seniorem & grandiorem significare, quàm vt possit catulis conuenire, ex Iobi 4.11. paret: vbi catulorum לְבִיא mentio fit.

8 *Vt virgo.*] Virginem appellat adolescentulam, iam antè nuptam illam quidem, sed quæ virgo nupserat, atque ante illud tempus nuptiarum suarum, à marito intacta fuerat. Καταχρησις: In illam enim puellam propriè hoc nomẽ cadit, quæ adhuc virum experta non est. Recens autem nuptæ adolescentulæ maritos suos iuuenes summo amore prosequuntur, maximéq; illis lætantur & gaudent. Vnde fit vt ijsdem viduatæ in acerbissimum luctum conijciantur, adeo vt nonnullæ (quemadmodum historiæ testãtur) suis viris mortuis supersse non sustinentes, longiorem sibi huius lucis vsuram denegârint, vnúmq; doloris & vitæ suæ finem fecerint. Ex quo patet hanc similitudinem ad grauissimum luctum arguendum aptam esse.

10 *Luget terra.*] Familiari Hebræis metaphora lugere dicuntur, quæ vastata, desolata, corrupta, & in deterius mutata sunt. Lament. 2. 8. vt murus & præmunitio lugerent effecit: pariter elanguerunt. Esa. 24. 7. luget mustum, vitis languet. Notat verò hæc translatio terræ suis fructibus spoliatæ vastationem vel sterilitatem: vt contraria ratione à latinis lætus ager dicitur, qui frugibus abundat: & lætæ segetes pro vberibus ponuntur. Virgil. Georg. 1. *Quid faciat lætas segetes.* Tale fere est illud Ciceronis 2. De natura deorum. Recessus solis quasi tristitia quadam contrahit terram, & tum vicissim accessu lætificat, vt cum cælo hilarata videatur. Eodem tropo oleum languere, & mustum erubescere dicitur, vt versu 12. vitis: Ita enim hîc accipio verbum הֹרְבִישׁ in vsitata eius significatione cum Hieronymo, à quo hijs in locis sic vertitur, Confusum est mustum,

mustum,cõfusa est vinea.Metaphora sumpta est ab hominibus sua spe frustratis.Vt enim pudore tales afficiuntur: ita mustum sperata sua copia quasi frustratum, ac vitis expectati fructus quasi spe decepta, erubescere quodammodo & pudefieri videtur. Est quidem verbum חָרְבִישׁ ambiguum: nam aliquando exarescere significat: verùm alteram illius hanc sententiam huic loco optimè congruere ex Esa.33.9. percipiemus: Luxit, languit terra, erubuit Libanus. Ibi enim verbum חָחְפִיר vsurpatur,quod propriè pudefieri & erubescere significat,nunquam autem arescere. Vt verò hîc pudefieri dicuntur vitis & mustum; ita ab Esaia 24.7. lugere mustum, & vitis languere dicitur eodem sensu.

12 *Pudefactum est.*] Hieronymus interpretatur, confusum est. Metaphora, quam proxima annotatione explicaui. Gaudium verò metonymiκῶς pro illis rebus ponitur, ex quibus gaudium capiebatur.

15 *Dies Iehouæ.*] Diem Iehouæ vocat diem grauiorum malorum à Iehoua immittendorum, quàm adhuc experti fuerant,nisi resipiscant. Magnis iam antè calamitatibus eos affectos fuisse liquet ex cap. 2. 25. rependam vobis annos quos absumpsit locusta,&c.Sed maiores hîc non resipiscentibus instare innuit.

Tanquam vastatio.] Id est, validissima & vehementissima,cui nullis viribus humanis resisti potest. Vide eandem sententiam,Esa.13.6.& ad huius illustrationem non ineptam,Gen.30.8. Ibi Rachel dicit se luctationibus Dei cum sorore sua luctatam esse & præualuisse, cum se potentissima luctatione vsam esse significat.

18 *Perplexa sunt.*] Rectè Tremellius ita interpretatur.Nam verbi Hebræi בָּרַךְ notio in animi perplexi perturbatione ponitur,qua quis eò redigitur, vt quid agat nesciat. Esteræ 3.in fine, Vrbs Susan perplexa erat. נִבְוכָה

19 *Quia ignis.*] Ignis & flamma per metaphoram immodicus & torrefaciens æstus dicitur: vt Psal.83.15.vt ignis comburit syluam, & flamma montes incendit. Hinc loca solis ardore torrida חֲרָרִים vocantur, Ierem.17.6.

hoc

hoc est, ardentia vel adusta.

20 *Glocitat.*] Præ summo aquarum desiderio clamat. Metaph. à ceruis præ nimia siti cupidè quærentibus aquas, & summum potus desyderium voce testantibus, quæ in illis glocitatio dicitur. Psal. 42.2. Vt ceruus glocitat ad aquarum alueos: ita anima mea ad te glocitat (ô Deus) sitiens est anima mea Dei.

Caput 2.

CLangite buccina Sione, & vociferamini in monte sanctitatis meæ, commoueantur omnes habitatores terræ: nam aduenit dies Iehouæ, nam propinquus est.

2 *Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obscuritatis, vt ‖ aurora super montes expansa: populus multus & robustus, Ei par non fuit à seculo, neque post eum ampliùs erit vsque ad annos ‖ cuiusque ætatis.*

3 *Ante eum consumet ignis, & post eum inflammabit flamma: quasi hortus Edenis terra ante eum, post eum verò desertum erit desolationis, adeóque quod euadat non est futurum ei.*

4 *Quasi aspectus equorum aspectus eius: & vt equites ita current.*

5 *Quasi strepitu curruum super cacumina montium salient, quasi strepitu flammæ ignis consumentis stipulam, quasi populus robustus instructus prælio.*

6 *A conspectu eius formidabunt populi, omnes facies contrahent pallorem.*

7 *Sicut fortes current, vt bellatores scandent murum:*

murum: Et quisq; ‖in vijs suis procedent, neque peruertent semitas suas.

8 Et vnus alterum non prement, quisq; per aggerem suum procedent, etiam in ensem ruentes non sauciabuntur.

9 Ciuitatem percurrent, per murum discurrent, in domos ascendent, ‖per ipsas fenestras ingredientur tanquam fur.

10 Ante illum mouebitur terra, commouebuntur cæli: sol & luna obscurabuntur, & stellæ retrahent splendorem suum.

11 Iehoua autem edet ‖ vocem suam ante exercitum suum, quia ampla admodum sunt castra eius, quia robustus est ‖qui efficit verbum eius: Magnus enim dies Iehouæ, & terribilis valde, & quis eum sustinuerit?

12 Atque etiam nunc dicit Iehoua, Conuertimini ad me toto corde vestro, & ieiunio, & fletu, & planctu.

13 Et lacerate corda vestra, ac non vestes vestras, & reuertimini ad Iehouam Deum vestrum, quia gratiosus, & misericors est, longanimis, & magna benignitate, atq; pœnitens mali.

14 ‖Quis scit an reuertatur & pœniteat ipsum, & relinquat post illum benedictionem, munus & libamen Iehouæ Deo vestro?

15 Clangite buccina Sione: indicite ieiunium, proclamate ferias.

16 Colligite populum, indicite congregationem, congregate senes, colligite paruulos, & sugentes vbera,

vbera, egrediatur sponsus è cubiculo suo, & sponsa è thalamo suo.

17 Inter ‖ vestibulum & altare fleant sacerdotes ministri Iehouæ, & dicant, Parce Iehoua populo tuo, & ne des possessionem tuam opprobrio, vt dominentur in eos gentes: Cur dicerent inter populos, vbi [est] Deus istorum?

18 Et ‖ zelo affectus est Iehoua pro terra sua, & pepercit populo suo.

19 Respondit q3 Iehoua, dicens populo suo, ecce, ego mittam vobis frumentum, & mustum, & oleum, & saturabimini eo, neque dabo vos amplius opprobrio in gentibus.

20 Et ‖ Aquilonalem longè à vobis amouebo, & ‖ depellam eum ‖ in terram siticulosam & desolatam, faciem eius ‖ in mare orientale, & postremum illius in mare posterum, & ascendet ‖ fœtor eius, & ascendet putor eius, quia ‖ magnificè aget.

21 Ne timeto terra, exulta & lætare, quia magnificè Iehoua aget.

22 Ne timetote bestiæ agri, quia herbascent pascua deserti, quia arbor proferet fructum suum, ficus & vitis edent vim suam.

23 Fily quoq3 Sionis exultate & lætamini in Iehoua Deo vestro, nam daturus est vobis imbrem maturum ‖ ad iusticiam, & demissurus vobis pluuiam maturam & seram ‖ primo quoquo [tempore.]

24 Et implebuntur areæ frumento, & ‖ redundabunt torcularia musto, & oleo.

25 Et rependam vobis annos quos absumpsit locusta,

locusta, melolontha, bruchúsq3, & eruca, exercitus meus maximus quem in vos immisi.

26 Et comedetis comedendo & saturabimini, & laudabitis nomen Iehouæ Dei vestri laudabitis qui fecit vobiscum mirificè: neque erubescent populus meus in seculum.

27 Et scietis in medio Israelis me esse, meq3 esse Iehouam Deum vestrum, & nullum esse amplius: neq3 erubescent populus meus in seculum.

28 Eritq3 postea vt effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, iuuenes vestri visiones videbunt.

29 Quin etiam super seruos & super ancillas, diebus illis effundam spiritum meum.

30 Et edam ostenta in cœlis & in terra, sanguinem, & ignem, & columnas fumi.

31 Sol vertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Iehouæ magnus, & formidabilis.

32 Eritq3 vt quisquis inuocauerit nomen Iehouæ, liberetur, quia in monte Sionis, & Ierosolymis erit liberatio, quemadmodum dixit Iehoua, & in residuis quos Iehoua vocauerit.

Caput 3.

ECce enim diebus illis, & tempore illo quo reducam captiuitatem Iudæ & Ierosolymæ.

2 Congregabo omnes gentes, & deducam

ducam eas in vallem Iosaphati, vt disceptem cum illis ibi pro populo meo & possessione mea Israele, quem dispersérunt per gentes, terrámq; meam partiti sunt.

3 Atque in populum meum proiecerunt sortem, dederúntq; puerum pro meretrice, & puellam vendiderunt pro vino vt biberent.

4 Quin etiam quid vobis mecum Tyre & Sidon, & omnes termini Palestinæ? An meritum rependitis mihi, aut etiam infertis mihi? Velocissimè reddam meritum vestrum in caput vestrum.

5 Qui argentum meum & aurum meum abstuliſtis, & desiderabilia mea optima intuliſtis in templa vestra.

6 Filios verò Iudæ, & filios Ierosolymæ, filijs Græcorum vendidiſtis, vt longè eos à termino suo abigeretis.

7 Ecce ego excitaturus sum eos è loco quò eos vendidiſtis, reddámq; meritum vestrum in caput vestrum.

8 Et vendam filios vestros, & filias vestras, in manum filiorum Iudæ, qui vendent eos Sabæis, genti longinquæ, quia Iehoua loquutus est.

9 Proclamate hoc in gentibus, indicite bellum: excitate robustos, accedant, ascendant omnes bellatores.

10 Tundite ligones vestros in gladios, & falces vestras in spicula, qui debilis est, dicat, robustus sum.

11 Festinate, & venite omnes gentes vndiq;, & congregamini, illuc deducito Iehoua robustos tuos.

12 Exci-

12 *Excitabuntur & ascendent gentes in vallem Iosaphati, quia ibi sedebo ad iudicandum omnes istas gentes undiq;.*

13 *Immittite falcem, nam ‖maturuit messis, venite, descendite, quia ‖ plenum est torcular: redundant torcularia, quia ampla est malitia eorum.*

14 *Multitudines passim [erunt] in valle ‖concisionis, quia ‖ propinquus est dies Iehouæ in valle concisionis.*

15 *Sol & luna obscurabuntur, stellæq; retrahent splendorem suum.*

16 *Et Iehoua è Sione rugiet, & ex Ierosolyma edet vocem suam, & ‖commouebuntur cæli & terra, & Iehoua receptus populo suo, & robur filijs Israelis.*

17 *Et noueritis me Iehouam Deum vestrum esse, habitantem Sione monte sanctitatis meæ: Eritq; Ierosolyma sancta, & extranei non transibunt per eam amplius.*

18 *Erit autem in die illo, montes stillabunt mustum, & colles ‖ fluent lacte, & omnes aluei Iudæ fluent aquis, & fons è domo Iehouæ prodibit, qui irrigabit ‖ vallem Shittim.*

19 *Ægyptus desolationi erit: Edomæq; in desertum desolatum erit, propter violentiam filiorum Iudæ, in quorum terra sanguinem innocentem effuderunt.*

20 *Iuda autem in seculum permanebit, & Ierosolyma in quámq; generationem.*

21 *Et ‖ mundabo sanguinem eorum [quem] non mundaueram: & Iehoua Sione commorabitur.*

ANNOTATIO IN CAPVT 2.

2 *Aurora expansa.*] Est quidem hæc interpretatio vt recepta, ita verbis Hebræis aptissima: vt mirum sit eam à Tremellio mutatam esse, eóq; magis, quod solens loquutio etiam in alijs authoribus sit. Homerus ili ad. 8.

Ἠὼς μὲ κροκόπεπλος ἐπὶ νάλο πᾶσαν ἴπ' αἶαν.

Hinc illa apud eundem libro præcedente similitudo.

Σὸν δ' ἠ τοι κλέος ἔσται ὅσσον τ' ὄπιδ' ἠὼς. Lucretius lib. 2.

Primùm aurora nouo cum spargit lumine terram. Idem lib. 5.

Tempore item certo roseam matuta per oras,
AEtheris auroram defert, & lumina pandit.

Sensus ergo est, per totam regionem longè latéque illas calamitatum tenebras, vel etiam locustas, vt quidam volunt, diffusum iri, quemadmodũ lumen auroræ per terram vniuersam spargi solet. Quòd autem dicit, super montes, eò fit, quia in altis montibus lux primùm apparet. Virgil. AEneid. 12.

Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies. Ouid. met. 9.

Lux subit, & primo feriente cacumina sole
Discedunt iuuenes.

Populus multus.] Insectorum multitudo eodem modo hîc populus dicitur, quo gens, cap. 1. 6. vocatur, & formicæ populus appellantur, Prouerb. 30. 25.

Cuiúsq; ætatis.] Verbũ verbo, ætatis & ætatis. Sic Deut. 32. 7. recordare dies seculi, annósq; ætatis & ætatis, i. cuiusque ætatis: & hîc cap. 3. 20. Ierosolyma in generationem & generationem, id est, quámq; generationem.

3 *Post eum.*] Hoc est, vbi iam abierit, vt Zach. 7. in fine, desolata post eos terra fuit, i. posteaquã illi ex ea migrassẽt.

5 *Currium.*] Qualem strepitum in bellico tumultu edunt currus saltitantes: talem hæ bestiolæ edent super cacumina montium salientes. Nahum 3. 2. bellum futurum prænuncians, Audietur, inquit, sonus flagelli, quadrupedantis equi, currúsq; salientis. Comparatur ad terrorem hoc insectorum agmen bellatoribus ad prælium paratis

& instructis, vt Apoc. 9. cap. versibus 7. & 9. figuræ locustarum similes erant equis paratis ad prælium. Habebant loricas vt loricas ferreas: & sonitus alarum ipsarum vt sonitus curruum, equis multis currentibus ad bellum.

6 *Pallorem.*] Castalio ita interpretatur: Verissimè, vt ego existimo collatione similium locorum adductus. Nahumi 2.11. Cor liquefiet, collisio genuum erit, & dolor in lumbis, omniúmq; facies contrahent פארור pallorem. Ierem. 30. 6. Quisque manus habet ad lumbos appositas more puerperæ, & vertuntur omnes facies in pallorem. Esa. 13.8. Omne cor liquefiet, & perturbabuntur, dolores corripient eos, quasi puerpera dolebunt, se inuicem cum stupore aspicient, facies eorum facies flammarum erit, hoc est, pallida, flammæ colorem referens. Quidam hoc nomine propriè nigrorem significari putant: quod vt ita sit, non obstat quin hîc pallor intelligatur. Pallor enim plumbeus quidam & nigricans color est, quo facies subducto sanguine in metu liuescit. Nigricantem pallorem significat, ait ad hunc locum Mercerus.

7 *In vijs suis procedent, non peruertent semitas suas, nec vnus alterum premet.*] Confert locustas non solùm bellatoribus, sed scientibus bellatoribus, quibus ordinis conseruandi peritia est: Quæ quidem res ad hostium terrorem, & victoriæ acquisitionem apprimè necessaria est, vt copiosè declarat in Oeconomico suo Xenophon. Exercitus incomposítus res est turbulentissima, inquit, & hostibus captu facillima, & penitus inutilis. In turba simul iumentum, peditatus grauis armaturæ, qui vehunt onera, sarcinas, impedimenta, miles leuiter armatus, eques, currus, quo pacto facient iter, si ita sibi sint impedimento? Si qui lentiùs graditur currentem, currens stantem, currus equitem, asinus currum, qui fert impedimenta, grauem peditatum moratur ac impedit? Si committendum sit prælium, quî sic confusi dimicabunt? Exercitus verò pulchrè dispositus, & ordine collocatus, & amicis pulcherrimus videtur, & hostibus propemodum inuictus & inexpugnabilis. Quis hostis non terreatur videns distinctos & aptè collocatos

pedites

pedites impeditiores, equites, ferentarios, ſagittarios, funditores, quum ſuos quíq; duces ordine ſequuntur?

9 *Per feneſtras.*] Furum enim morem eſſe aliunde quàm per oſtium introire, ex euangelio Iohannis, cap. 10. verſ. 1. diſcimus. Qui non ingreditur per oſtium, ſed aliunde, fur eſt & latro.

11 *Vocem ſuam.*] Id eſt, è cælo intonabit. Tonitru enim vox Dei dicitur, Pſal. 29. 5. Vox Iehouæ confringit cedros. Pſal. 18. 14. Intonuit Iehoua in cælo, & excelſus edidit vocem ſuam.

Qui efficit verbum eius.] Periphraſis miniſtri eſt, vt Pſal. 103. 20, 21.

12 *Atque etiam nunc.*] Quaſi dicat, Etiamſi graues calamitates propter peccata veſtra experimini, quibus iam diu Deum prouocaſtis: Tamen ſi vel nunc ſaltem reſipueritis, ſpes adhuc ſalutis ſupereſt. Tale illud eſt, Lucæ 19. 42. Si tu noſſes vel hoc ſaltem tuo die quæ ad pacem tuam pertinent.

14 *Quis ſcit.*] Hæc verba ſæpe dubitantis ſunt. 2. Sam. 12. 22. Puero adhuc viuo ieiunabam & flebam: dicebam enim, quis nouit an gratioſus mihi Iehoua futurus ſit vt viuat puer? Homericus Neſtor Iliad. λ. hoc argumento Patroclo ſuadet, vt Achillem ad opem Græcis ferendam hortetur. Præcepit tibi pater tuus ne conſilio Achilli deeſſes: Tu verò oblitus id neglexiſti.

ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν,
Τῶνδε εἴποις ἀχιλῆι δαΐφρονι κῆρα ἀπῶσαι,
Τίς δ' οἶδ' εἰ μέ τοι σὺν δαίμονι θυμὸν ὄρῃναι.

Ouidius in epiſtolis.

Forſitan & fuluos tellus alit iſta leones:
Quis ſcit an hæc ſæuas inſula tigres habet?

Loquutio igitur iſta, Quis ſcit an reuertatur, &c. dubitantis eſſe videtur, & tamen bene ſperantis: vt illa, 2. Sam. 12. 22. Sed poteſt ne de eo dubitari an Deus ſit illis condonaturus qui reſipuerint, animúmq; vindicandi depoſiturus? Minime. Clementia enim & facilitas ad ignoſcendum reſipiſcentibus, Dei propria eſt. Sed duo ſunt diuini

iudicij genera,vt docet Caluinus lib.3. inſtitut. cap.4. ſectionibus 31,32,35. Vnum vindictæ,quo Deus admiſſam culpam æterna pœna vlciſcitur: De huius remiſſione nulla dubitatio eſt. Alterum caſtigationis,cum culpa remiſſa, correctio tamen quædam,partim ad humiliandum peccatorem, partim in commune aliorum exemplum adhibetur. De hoc caſtigationis genere, ni fallor, hîc dubitatur: Incertum enim eſt an Deus caſtigationem ſuam auertere voluerit. Dauid 2.Sam.12.22. reſipiſcens,filioli ſui ſalutem non tam exploratam habuit,quin de ea ambigeret.Eidem 2.Sam. 24. 10. cum reſipuiſſet, veniámq; peccati ſupplex petiuiſſet,triplicis tamen caſtigationis optio propoſita fuit,famis,belli,peſtis.

17 *Inter porticum & altare.*] Hic enim locus ſacerdotum erat,vbi illi ſacrificaturi ſtare ſoliti ſunt : Hîc Zacharia ſacerdos occiſus erat,Mat.23.35. Altare hîc illud intelligitur,quod à Salomone extructũ dicitur ante porticum, 2.Chron.8.12.in atrio interiore ſacerdotum,Eſech.8.16.

18 *Zelo affectus eſt.*] Poſtquam populus à Propheta admonitus reſipuiſſet,eâq; omnia feciſſet ad quæ eos hortatus fuerat,12,13,15,16,17.verſibus: Tum Deus zelo affectus eſt,populóq; ſuo pepercit,& liberationis,multorúmq; bonorum promiſſionibus ſolatus eſt.Neque enim meo iudicio quid facturus aut dicturus ſit Deus hîc Ioel oſtendit, ſed quid iam fecerit ac dixerit eorum reſipiſcentia viſa,refert. Nec verò quenquam moueat quòd nulla ſit huius eorum reſipiſcentiæ,congregationis,& ieiunij celebrati mẽtio: Multa enim loca ſunt,in quibus talis reticentia occurrit.Eſaiam cap.7. iuſſit Deus vt ſe cum filio ſuo Shearjaſhubo ad Achazum conferret,eúmq; commotum confirmaret,ipſiq; liberationem, & hoſtibus ipſius exitium fore declararet. Quæ quidem ille perfeciſſe,prout Deus iuſſerat, nuſquam memoratur : & tamen ab eo fuiſſe perfecta ex eo loco facile intelligitur. Sic Moſi, Exodi 8.20. præceptum erat vt ad Pharaonem iret,eíq; colluuiem animalium immiſſam iri denunciaret,niſi populum Iſraeliticum dimitteret. Statímq; nulla facta mentione eius quod Moſes

ſes fecerit, vel reſponderit Pharao, ibi verſu 24. ſequitur Deum illam colluuiem immiſiſſe. Itaque ſubintelligendum eſt, Hæc Dei mandata cum Moſes ad Pharaonem pertuliſſet,illéq; obtemperare renuiſſet: Tum aduenit à Iehoua colluuies, &c. Hæc mea de huius loci intelligentia ſententia eſt,quam à doctioribus expendi cupio.

20 *Aquilonalem.*] Hoc eſt,illam partem huius inſectorum agminis,quæ verſus aquilonem ſpectat, longè à vobis amouero, in aquilonem ſcilicet. Ita enim intelligendum analogia ſequentium arguit: faciem enim eius, id eſt, anteriorem partem, verſus orientem: & finem,id eſt, poſterioré, in plagam occidétalem depulſum iri declarat.

Depellam eum.] 1.Partem illius,nimirum,quæ auſtralior eſt.Synec. Eodem ſenſu Tremel. reddit,depellam ex eo,i. partem illius. Cui huius verſus intelligentiam acceptã fero,magnámq, à ſtudioſis gratiã,quòd ex tot interpretibus ſolus(quod ſciam)plenè explicârit hũc locũ, deberi puto.

In terram ſiticuloſam.] Id eſt,meridianam, ait idem Tremel. veriſſimè, vt mihi videtur: quia deſertum illud ad meridiem Iudææ ſitum terra ſiticuloſa & ſicca dicitur, Pſal 78.17 & Deut.8.15.

In mare orientale vel anterius.] Id eſt, mortuum, quod terminus Iudææ fuit ad orientem. vide Zach.14.8. & Eſechielis 47.18. vbi eiuſdem mentio fit.

Fœtor eius.] Ex proſtratis & mortuis eorum cadaueribus,vt Amoſ 4.10. feci vt aſcenderet caſtrorum veſtrorum fœtor in nares veſtras.

Magnificè aget.] Nempe Iehoua,vt verſu ſequente. Caſtalionis hoc iudicium fuit, quod valde probo. Eſt autem hîc anomalia ſiue enallage perſonæ, vt Eſa.22.19. propulſabo te de ſtatione tua,& de loco tuo deſtruet te.

23 *Ad iuſticiam.*] Id eſt, iuſta menſura, quæ frugibus maturandis & abundè proferendis ſatis ſit. Sic Oſe 10.12. donec veniat,& matura vobis pluuia iuſticiæ ſit,hoc eſt,æqua & integra menſura, ita vt nihil deſit quod opus eſt, vel abundet ſuprà quàm ſat eſt:Horum enim vtrúmq; frugibus nocet. Hac ratione pondera integra vocantur iuſta,

& menſuræ quibus ad perfectionem nihil deeſt aut ſupereſt, iuſtæ dicuntur. Leuit. 19. 36.

Primo quoquo tempore.] Id eſt, maturè, cùm primùm ea opus eſt.

24 *Redundabunt.*] Hieronymus, Pagninus, & Caſtalio ita interpretantur. Quimquius etiam in radicibus hanc ei notionem tribuit. Sic Prouer. 3. 10. Horrea tua ſaturitate implebuntur, & vino torcularia tua redundabunt.

28 *Quamuis carnem.*] Id eſt, quoſuis homines cuiuſcunq; ſexus, ætatis, cõditionis. Ita ſeipſum explicat verbis ſequentibus, filij, filiæ, iuuenes, ſenes, ſerui, ancillæ.

30 *Prodigia.*] In terrorem improborum, & horrendarum calamitatum ſigna. Quæ enim hîc oſtenta aduentum Chriſti terribilem præceſſura enumerantur, ſemper triſtium malorum prænuncia eſſe exiſtimata ſunt.

Sanguinem.] Liuius lib. 22. de prodigijs quæ ante pugnam ad Thraſymenum contigerunt, Romæ, inquit, in Auentino, & Ariciæ nunciatum erat ſub idem tempus lapidibus pluiſſe, & multo cruore ſigna in Sabinis cędis è fonte aquas calidas manaſſe. Initio belli Marſici ſimulachra Deorum ſudauiſſe, & ſanguinem fluxiſſe, narrat Cicero 1. de diuinatione ex Siſenna. Cleanthes apud eundem 2 lib. de natura Deorum, ex terræ motibus, lapidis imbribus, guttíſq; imbrium quaſi cruentis, argumentum petit quo deos eſſe doceat. Claudianus lib. 1. in Eutropium.

Semiferos partus, metuendaq; pignora matri,
Et lapidum duras hyemes, nimbóq; minacem
Sanguineo rubuiſſe Iouem, puteóſq; cruore
Mutatos, tandem mirari deſinat orbis:
Omnia ceſſerunt Eunucho conſule monſtra.

Ante bellum inter Pompeium & Cæſarem, mare cruentum apparuiſſe fertur: Atq; ante mortem Cæſaris, non ſolum guttas de cælo cecidiſſe ſanguineas, ſed etiam puteis cruorem manauiſſe. Talis igitur hîc prodigioſus & portentoſus ſanguis ſignificatur, qui miſeræ cladis triſte præſagium eſſe ſolet.

Ignem.] Ignis hîc notat terribiles faces in cælo ardentes,

tes, mirabilia fulgura, & insolitas flammas quæ hominibus luctificas clades portendunt. Lucanus lib. 1. monstra enumerans quæ bellum ciuile præcesserunt.

Superíq; minaces
Prodigijs terras implêrunt, æthera, pontum,
Ignota obscuræ viderunt sydera noctes,
Ardentémq; polum flammis, cælóq; volantes,
Obliquas per inane faces, crinémq; timendi
Syderis, & terris mutantem regna cometen,
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno,
Et varias ignis denso dedit aëre formas.

31 *Sol in tenebras.*] Eclipsi quæ calamitatum venientium prænuntia esse solet, eius lumen deficiet, ad metum hominibus incutiendum. Lucanus ibidem.

Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus:
Inuoluitq; orbem tenebris, gentésq; coëgit
Desperare diem. Virgil. 1. Georg. de solis defectu sub obitum Cæsaris tumultus illorum temporum præmonstrante.

Sol etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiáq; æternam timuerunt secula noctem.

Luna in sanguinem.] Hoc est, in ruborem, vt in lunæ obscuratione per eclipsin fieri solet. Ouidius metam. 15. similiter loquitur.

Signa dabant luctus superi haud incerta futuri,
Sæpe faces visæ, Solis quoq; tristis imago.
Cærulus & vultum ferrugine lucifer atra
Sparsus erat, sparsi lunares sanguine currus.

ANNOTATIO IN CAP. 3.

2 *Vallem Iosaphati.*] Lyranus affirmat fuisse inter Ierosolymam & montem Oliueti. Cuius sententiam sequitur Adrichom Delphus in sanctæ vrbis descriptione: existimans eam esse quæ vallis Cedron nominatur. Arias Mon-

tanus etiam in sua eiusdem descriptione eôdem accedit, scribens hoc nomen toti illi valli inditum esse à sepulchro Iosaphati in ea sito. Quod ego vt sit verum non video, quia 2.Par.21.1. dicitur Iosaphat sepultus fuisse in ciuitate Dauidis: Ea enim in monte Sionis fuit intra vrbem. Quod ad me attinet, existimo profecto cum Caluino & Tremellio, eam vallem esse in qua Iosaphato memorabilis victoria contra hostes ecclesiæ concessa est, indeque hoc nomen consequutam: qua ratione Iud.7.25.rupes Orebi cæde nobilitata, rupes Orebi inde postea nominata est. De hac valle & victoria Iosaphati, vide 2.Par.20.16,26. Ex quo loco probabiliter colligitur, ad orientem meridionalem fuisse inter Ierosolymam & Tecoam in longum extensam, ita vt quanquam ille locus quo hostes Iosaphati pericrunt, remotior fuerit, vna tamen illius pars propè ad radices montis Oliueti accesserit. Quimquius enim dicit vrbi vicinam fuisse, & Tremellius in conspectu illius fuisse confirmat. Quod etiam constat ex historia Rabbi Abrahami Hebraicè de rebus iudaicis conscripta: vbi dicit Zachariã quendam à sicarijs occisum proiectum fuisse יהושפט לפאת עמק in eam partem vbi erat vallis Iosaphati. Is est, quem Iosephus lib. 5. de bello Iudæorum capite primo, narrat è templo proiectum fuisse in subiectam vallem. Rectè ea vallis quadrat loco iudicij diuini in improbos notando, quia illic Deus horrenda olim strage suos hostes deleuerat, 2.Par.20. vide hîc vers.14.

4 *Quid vos mihi?*] Id est, quid vobis mecum? Est enim idem quod alibi dici solet, quid vobis & mihi? 2.Sam.16.10. Quid mihi & vobis? id est, mihi vobiscum? Quimquius, Tremellius, Mercerus. Quid vobis mecum rei est, quòd ita mihi & populo meo aduersamini?

Num meritum mihi refertis, an etiam infertis?] Subaudi malum vel iniuriam? Mercerus sensum rectè declarat. Num populum meum affligentes id facitis vt illatam vobis iniuriam rependatis? an potiùs priores mihi infertis iniuriam antè nullo meo merito lacessiti? Certè vtrumuis faciatis, ego pro merito vos tractâro, & in caput vestrum,

ídq; celerrimè, meritam pœnam rependero. Definite ergo si sapitis, populum meum vexare. Verbum גמל interdum significat beneficio vel maleficio aliquem afficere, in aliquem beneficium vel malum conferre, hoc est, bene vel malè de aliquo mereri. Hinc גמול nomen in vtrâmq; partem accipitur: de beneficio collato, Iud. 9. 16. vel malo illato, Psal. 137. 8. Eam igitur vim habet quam Latinè meritũ. Qua voce hîc & versu 7. rectè à Castalione explicatur.

9 *Proclamate hoc in gentibus.*] Dixerat versu 2. huius capitis, se omnes gentes congregaturum esse in vallem Iosaphati. Hîc igitur ministris suis id faciendi mandatum dat. Iubet eos gentes inimicas ecclesiæ cogere ad bellum, vt ita congregatas Deus profliget & perdat. Similis locus est, Zach. 14. 2, 3. Deum congregaturum omnes gentes ad bellum contra Ierosolymam, & contra illas congregatas pugnaturum esse. Item Esech. 38. 4, 16, 17. &c. hostes ecclesiæ contra eam à Deo adductos & collectos deletum iri. Hîc igitur vltimum Dei iudicium ostenditur similitudine sumpta à bello, quo potentissimi imperatores suos hostes proterunt & consumunt. Ex vna parte statuuntur gentes vniuersæ suis viribus instructæ 9 & 10. versibus: Ex altera Deus cum bellatoribus suis in fine versus 11.

10 *Ligones vestros in gladios.*] Ferrea instrumenta ad agriculturam pertinentia, in arma bellica vertite. Tempore enim belli, horum, non illorum vsus est, cultura terræ relicta, homines ad pugnandum sua studia conferunt. Virgil. georg. 1. de incommodis belli quærens.

Non vllus aratro
Dignus honos, squalent abductis arua colonis:
Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem.

Ouidius 1. Fastorum.

Bella diu tenuere viros, erat aptior ensis
Vomere, cedebat taurus arator equo.
Sarcula cessabant, versíq; in pila ligones,
Factáq; de rastri pondere cassis erat.

11 *Festinate.*] Est enim, ait Iarchius hîc ערשו pro חרשו Nec aberrat à vero, vt ego existimo: Sunt enim

hæ

hæ literæ commutabiles. 2.Reg.20.13. hac permutatione ישמע legitur pro ישמח.

13 *Maturuit messis.*] Metaphora ad scelerum maturitatem notandam, plenitudinémq; temporis diuini iudicij, vt Math.13.30. tempore messis dicam, &c. Vide Apocal.14.15,18,19,versibus.

Plenum est torcular.] Metaph. à mensuræ plenitudine, ad abundantiam scelerum significandam vsitata est. Gen. 15.16. iniquitas Amorræi nondum completa est.Math.23. 32. vos quoque complete mensuram patrum vestrorum.

14 *Concisionis*] Hieronymus & Tremellius ita vocem Hebræam חרוץ interpretantur. At Mercerus decisionis, id est, iudicij, probabiliter. Erat enim hîc locus diuini iudicij, vers.12. ibi sedebo ad iudicandum,&c. & חרץ etsi propriè incidere vel concidere significat, aliquando per metaph.est pro statuere,decernere,iudicare. Denique Chaldæus, & Græci interpretes 70. & Theodotio ita intellexerunt.

Quia propinquus est.] Nam apud Dominum mille anni sunt vt dies vnus. vide 2.Pet.3.4,8,9.

16 *Commouebuntur vel contremiscent cæli & terra.*] Vt terra terræ motu, ita cælum tonitruo concuti & tremere dicitur. Pacuuius. Tenebræ conduplicantur, noctisq; & nimbûm occæcat nigror, flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit. Sunt autem hæc Dei hominum peccata vlturi,terrificæ potentiæ argumenta. vide Math. 24.29.& Lucæ 21.26.

17 *Sancta.*] Id est,chara erit Deo, & sub eius cura, fauore,ac tutela,à prophanarum gentium dominio, direptione & possessione qua prophanari & pollui dicitur, libera & immunis.vide Esa.35.8.& Abdiæ vers.17.& Lament.2.2.

18 *Fluent.*] Talis erat illa aurea ætas, de qua Ouidius metam.1.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaq; de viridi stillabant ilice mella.

Rerum ad hanc vitam pertinentium affluentia, spiritualis in Christo futura beatitudo adumbratur.

Vallem

Vallem Shittim.] In campestribus Moabitarum erat haud longè à mari mortuo, transiordanicæ Israelitarum regioni vicina, vel potiùs in confinio, vt videtur, Israelis & Moabi. Inde enim ad Iordanem venientes in terram promissam transiuerunt, Ios. 3. vide etiam Numerorum 33.49. Cùm igitur dicit fontem ex domo Iehouæ manantem, rigaturum hanc vallem quæ in extremis finibus terræ Israelitarum erat ad orientem australem inter Moabitas & Israelitas, nihil aliud vult, quàm Dei benedictionem longè latéq; diffusam iri, ita vt vniuersam ecclesiam perfundat. Vt quæ hîc dicuntur rectè intelligantur, vtile erit consulere Zachariam, cap. 14. vers. 8. & Ezechiel. 47. cap. à vers. 1. ad finem octaui, vbi eadem de ecclesia tota irriganda ad extremos vsque fines eius sententia est.

19 *Violentiam vel iniuriam Iudæorum.*] Id est, quæ illis illata est, vt Abdiæ vers. 10. propter iniuriam fratris tui.

21 *Et mundabo.*] Innocentem fuisse declarabo, partim illis absoluendis ab æterno exitio in die iudicij, partim eorum inimicos damnando & vlciscendo. Dominus exitio impiorum ostendet piorum sanguinem iniustè effusum fuisse. Declaratio Mercerì est, verisimilis. Sic verbum iustificandi vsurpari videtur in Apocryphis adiectionibus Esteræ 10. 12. Hæreditatem suam iustificauit, i. populum suum iustum esse, & à culpa vacare, improbos pœna afficiendo ostendit.

AMOSVS.

Cap. 1.

VErba Amoſi, qui fuit inter ‖ pecuarios è ‖ Tecoa: quæ vidit de Iſraele diebus ‖ Vzziæ regis Iudæ, & diebus Ieroboami, filij Ioaſhi, regis Iſraelis, biennio ‖ ante terræmotum.

2 Dixit autem, Iehoua è Sione rugiet, & è Ieroſolyma edet vocem ſuam: & lugebunt paſcua paſtorum, & ‖ vertex Carmeli areſcet.

3 Sic ait Iehoua, ‖ Propter tres defectiones Damaſci, & propter quatuor, non conuertam eum: eò quòd triturauerint tribulis ferreis ‖ Gileadem.

4 Et immittam ignem in domum ‖ Chazaelis, qui conſumet palatia Benhadadi.

5 Et confringam vectem Damaſci, excindam habitatorem è conualle Auenis, & ‖ tenentem ſceptrum è domo Edenis: migrabúntq; populus Syriæ in Kirum, ait Iehoua.

6 Sic ait Iehoua, Propter tres defectiones Gazæ, & propter quatuor, non conuertam eum: eò quòd deportauerint ‖ deportationem perfectam vt tradant [eam] Idumæis.

7 Immit-

7 *Immittámq; ignem in murum Gazæ, qui consumet palatia eius.*

8 *Et excindam habitatorem ex Azoto, & tenentem sceptrum ex Aſhkelone, conuertámq; manum meam contra Ecronem, & peribunt reliquiæ Philisteorum, ait Dominus Iehoua.*

9 *Sic ait Iehoua, Propter tres defectiones Tyri, & propter quatuor, non conuertam eum: eò quòd tradiderint deportationem perfectam Idumæis, neque sint recordati ‖ fœderis fraterni.*

10 *Et immittam ignem in murum Tyri, qui consumet palatia eius.*

11 *Sic ait Iehoua, Propter tres defectiones Edomi, & propter quatuor, non conuertam eum: eò quòd persequatur gladio fratrem suum corrumpens miserationes suas, discerpátq; in perpetuum ira eius, & ‖ excandescentiam suam seruet in æternum.*

12 *Et immittam ignem in Temanem, qui consumet palatia Botsræ.*

13 *Sic ait Iehoua, Propter tres defectiones filiorum Ammonitarum, & propter quatuor, ‖ non conuertam eum: eò quòd diffiderint grauidas Gileadis, vt dilatarent terminum suum.*

14 *Et accendam ignem in murum Rabbæ, qui consumet palatia eius, cum clangore die belli, cum procella die turbinis.*

15 *Et abibit rex eorum in deportationem, ipse cum principibus suis simul, ait Iehoua.*

16 *Sic ait Iehoua, Propter tres defectiones Moabi, & propter quatuor, non conuertam eum: eò quòd*

com-

combusserit ossa regis Idumæorum ‖ *in calcem.*

17 *Et immittam ignem in Moabum, qui consumet palatia Keriotharum, & morietur in strepitu Moab, in clangore, in sono buccinæ.*

18 *Excindámq; iudicem è medio eius, & omnes principes eius interficiam cum eo, ait Iehoua.*

Caput 2.

Sic ait Iehoua, Propter tres defectiones Iudæ, & propter quatuor, non conuertam eum, eò quòd spernunt legem Iehouæ, & statuta eius non obseruant, seducúntq; ipsos mendacia ipsorum, quæ secuti sunt aui ipsorum.

2 *Et immittam ignem in Iudam, qui consumet palatia Ierosolymæ.*

3 *Sic ait Iehoua, Propter tres defectiones Israelis, & propter quatuor, non conuertam eum: quia vendunt pecunia iustum, & egenum pari calceorum.*

4 ‖ *Qui inhiant* ‖ *propter puluerem terræ super caput tenuium, &* ‖ *viam pauperum peruertunt: Et vir ac pater ipsius* ‖ *eunt ad puellam, vt nomen sanctitatis meæ profanent.*

5 *Et* ‖ *super vestes in pignus acceptas inclinant se* ‖ *iuxta omne altare, vinúmq; damnatorum bibunt in domo deorum suorum.*

6 *Ego verò perdidi* ‖ *Emoreum à facie ipsorum, cuius altitudo erat similis altitudini cedrorum,*

rum, & robustus erat vt robora, perdidiq; fructum eius supernè, & radices eius infernè.

7 Ego etiam vos eduxi è terra AEgypti, & deduxi vos per desertum quadraginta annos ad hereditariò possidendum terram Emorei.

8 Atque excitaui è filijs vestris in prophetas, & ex iuuenibus vestris in Nazareos: An verò non est ita ô filij Israelis, ait Iehoua?

9 Et bibendum dedistis Nazaraeis vinum, & prophetis interdixistis, dicendo, ne prophetetis.

10 Ecce ego ‖ arctaturus sum locum vestrum, vt arctatur plaustrum onustum ‖ manipulis.

11 Itaque peribit effugium à Leui, & robustus non fortificabit vires suas, & fortis non liberabit seipsum.

12 Et ‖ tenens arcum non consistet, leuisq; pedibus suis non liberabit, neque insidens equo liberabit seipsum.

13 Et fortis animo inter robustos ‖ nudus fugiet in die illo, ait Iehoua.

ANNOTATIO IN CAP. 1.

1 *Pecuarios.*] Cap. 7. 14. Bubulcum se fuisse dicit à grege sequendo in prophetam sumptum.

Tecoa.] Mirum est Quimquium doctissimum Hebræum affirmare Tecoam oppidum magnum in tribu Asher fuisse, idq; non semel: Etenim hic & cap. 7. 10. idem peccat. Certum enim est fuisse oppidum Iudææ, 2. Paral. 11. 6. AEdificauit in Iuda Bethleemum & Tecoam. Pastioni pecudum aptum erat propter desertum adiunctum, cuius fit mentio, 2. Paral. 20. Inde à Deo ad Israelitas missus

missus erat, vt contra regnum decem tribuum prophetaret, cap. 7. 15.

Vzziæ & Ieroboami.] Eodem tempore, quo Esaias cum Osea prophetauerunt. Illis enim temporibus Deus plures simul prophetas excitauit, propter impẽdentes captiuitatum calamitates, qui populum admonerent.

Ante terræ motum.] Eum Vzzia regnante contigisse, ex Zach. 14. 5. discimus: Verùm quo regni ipsius anno, minimè liquet. Quod nos hoc doceat, præter coniecturas nihil affertur. Hijs igitur verbis ostendit quo tempore sub illis regibus prophetare cœperit. Quàm diu autem suam prophetationem continuauerit, hinc non constat: verùm ea de re quid ego sentiam, postea explicabo ad versum 7. capitis 9.

2 *Caput Carmeli.*] Id est, vertex eius. Erat enim mons, & pascuosus quidem, Ierem. 50. 19. Depascet Carmelum & Bashanem. Australis erat ad occidentem terminus tribus Ashur, laudatúrq; à fertilitate sua plurimùm. Esa 35. 2. Desertum lætabitur, quia gloria Libani, & decor Carmeli ac Saronis dabitur ei. Qui igitur Psal. 147. dicitur efficere vt montes fœnum proferant, eosdem cum velit potentia sua arefacit.

3 *Propter tria & propter quatuor.*] Id est, multa. Synecdoche. Sic Horat. 1. car. oda. 31.

Dijs charus ipsis, quippe ter & quater
Anno reuisens æquor Atlanticum. Hoc est, sæpe.

Vlysses apud Homerum, horrenda tempestate agitatus in mari.

Τρὶς μάκαρες δ' αναοὶ ἠ τετράκις, οἱ τότ' ὄλοντο,
Τρόῃ ἐν ὑρείῃ.

Quem locum Vergilius imitatus est AEneidos primo.

O tér q; quatér q; beati,
Queis ante ora patrum, Troiæ sub mœnibus altis,
Contigit oppetere!

Gileadem.] Illius loci habitatores. Metonymia. Hoc enim à victoribus fieri solitum esse declarat historia sacra, 1. Par. 20. 3. vbi Ammonitas serris ac tribulis ferreis dissecuisse

cuisse dicitur Dauid. Hunc etiam ipsum Syriæ regem qui hîc versu sequente memoratur, Israelitas tanquã in puluerem redegisse tritur ando legimus, 2. Reg. 13. 7. Hoc verò Deo authore factum erat. 2. Reg. 10. 32. Cœpit Iehoua detestari Israelem, eósq; percussit Chazael, totam terram Gileadis &c. Nec tamen id regem hunc excusauit quin Deus ei propterea hîc vindictam denunciaret: Vt Sabæi qui Iobum spoliauerunt, eò non excusantur, quòd Deus id fecisse narratur.

4 *Chazaelem & Benhadadum.*] Reges Syriæ fuerunt: ille pater, hic filius. Quod idcirco commemoro, vt Hieronymum à culpa & reprehẽsione liberem, qui ob eam causam à nonnullis arguitur, quòd Benhadadum Chazaelis successorem fuisse putaret. Verùm verisimilem eam illius sententiam fuisse, 2. Reg. 13. 3. monstrat illud, Tradidit eos in manum Chazaelis regis Syriæ, & in manum Benhadadi filij Chazaelis omnibus illis diebus. Fuit quidem alius Benhadad ante Chazaelem, fateor: Sed tantum abest vt firma aliqua ratio euincat eum fuisse qui hîc memoratur potiùs quàm filium Chazaelis, vt minùs verisimile sit, eò quòd secundo loco ponitur.

5 *Tenentem sceptrum.*] Regis periphrasis est: Qui hinc σκηπτοῦχος vocatur, id est, sceptritenens. Homer. Iliad. ξ.

ὅς τις
Σκηπτοῦχος εἶη ᾗ οἱ πειθοίατο λαοί.

6 Deportatio perfecta vel integra dicitur, qua omnes migrant, nullo ætatis vel sexus discrimine habito: mulieres, viri, senes, paruuli. Cùm vt loquitur Ieremia cap. 13. 19. de Iuda, vrbs tota & integrè deportatur. Deportabitur, inquit, Iudæa tota, deportabitur integrè. Hoc eorum crudelitatem arguit.

9 *Fœderis fraterni.*] Hoc est, in mentes suas non vocârunt, quanta inter eos amicitia & concordia vigere debuit, qui tam arcto fraternæ coniunctionis vinculo colligati fuerunt. Sanguinis enim coniunctio deuincit charitate homines, ait Cicero off. 1. Ad hunc igitur amorem eos potiùs reuocare debuerunt, quàm hoc vindictæ genere eorũ

odium pascere, & ex tanto eorum dissidio voluptatem capere. Deus quidem Deut. 23.8. hoc argumento Israelitas ab Idumæorum detestatione ac odio auocat, quòd fratres ipsorum essent. Fœdus igitur fraternum hîc meo iudicio vocatur fraterna necessitudo, vt apud Horatium. *At vos*

Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat,
Indomita ceruice feros, vbicunq; locorum
Viuitis indigni fraternum rumpere fœdus.

11 *Et excandescentia sua seruat eam.*] Ad verbum, nominatiuus absolutus est, & genus loquendi crebrum. Vt æterna hîc Idumæorum ira dicitur: ita inimicitia eorum in fratres suos Israelitas, Esech. 35.5. inimicitia perpetua vocatur. Eorum odij argumenta habentur, Psal. 137. & in Abdia, vt non immeritò tot verbis eorum inhumanitatem declarare videatur.

13 *Non conuertam vel reducam eum.*] Ad me, scilicet per pœnitentiam, vt eorum miserear, vt Lam. 5.22. Conuerte nos ad te Domine, & conuertemur. Ierem. 31.18. Conuerte me Domine, & conuertar. Erat verò Ammonitarum in Israelitas odium eò minùs ferendum, quòd consanguinei fuerunt. Nam Lotus Ammonis pater, Abrahami nepos erat.

16 *In calcem.*] Prorsus, perfectissimè, & absolutissimè. Sic Esa. 33.12. Erunt populi combustiones calcis.

ANNOTATIO IN CAP. 2.

4 *Qui inhiant vel anhelant propter puluerem.*] Id est, vt sit puluis super caput tenuium, vt rectè Quimquius, & Mercerus exponunt: Hoc est, qui summo cupiditatis ardore contendunt & incumbunt in id vt ita sit: Qui vehementer id ita esse cupiunt. Nam שׁאף propriè significat inhiare, anhelare aperto ore, aerem attrahere belluarum siti anhelantium more, quæ ad interiorem æstum temperandum, auræ frigidioris afflatum hiantes auidè captant. Ierem. 14.6. Tempore siccitatis à defectu pluuiæ Onagri super loca excelsa stantes quasi serpentes auram inhiant,

שאפר רוח. Hinc per metaph. maximopere desiderare. Iob. 5. 5. Messem eorum famelicus comedet, & sitibundus opes eorum inhiabit. רשאף Ibi cap. 7. 2. vt seruus inhiat vmbram, id est, desiderat, vt vulgatus interpretatur. Hoc igitur verbum ardentissimum eorum desiderium notat, quo tenuium miseriam videre cupiuerunt: Quale in serpentibus & sitientibus belluis esse solet, cùm hiantes, aura refrigerare quærunt anhela flammis corda.

Vt sit puluis.] Id est, vt oppressione sua vexatos in luctum conijciant. Puluis enim super caput in luctu & rebus afflictis olim ponebatur. Iob. 2. 12. Esech. 27. 30. etiam caput ipsum in puluere. Lament. 2. 10. Seniores imponunt puluerem capitibus suis: Virgines in terram deponunt caput suum.

Viam pauperum.] Id est, iudicium eorum. Iudicium enim viæ comparari solet. Prou. 17. 23. Munus è sinu profertur ad peruertendum semitas iudicij.

Eunt ad puellam.] Id est, cum ea concumbunt. Propertius ita loquitur, lib. 2. eleg. 21. de meretricula.

Nec finit esse moram si quis adire velit.

Eodem sensu dicitur aliquis ad mulierem venire, Gen. 38. 16. veniam ad te. Metonymia.

5 *Super vestes.*] Vestes stragulas intelligo cum Iarchio, & Chaldæo paraph. quæ ad epulas humi vel in lectis accumbentibus olim substernebantur. Iudith 12. 15. Strauit ancilla eius ei coram Holopherne pelles humi, quas à Biguaio ad quotidianum vsum acceperat, vt in eis accumbens comederet. Virgil. AEneid. 1.

Iam pater AEneas & iam Troiana iuuentus
Conueniunt, stratóq; super discumbitur ostro.

בגד enim non solùm vestem quæ induitur significat, sed etiam stragula, aulæa, tapetia. 1. Sam. 19. 13. imaginem lecto impositam, texit veste, scilicet stragula. vide Numerorum 4, 6, 7, 8, 9, 12, 13, versibus. Vestis etiam Latinè tam de stragulis quàm indumentis vsurpatur. Hinc enim vestis stragula dicitur.

Inclinant se.] Alludit ad veterem discumbendi morem,

quo epulantes ad mensam,non vt nos hodie,sederunt,sed accubuerunt, reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum,infera in longum porrecta ac iacente, capite leuiter erecto. Ab ista igitur reclinatione corporis ita accumbentes hîc reclinare se dicuntur, vt Græcè similiter κατακλίνειν,vt docet Lambinus ex Plutarcho,Platone,& alijs,ad ea verba Horatij.1.car.od.27.

Et cubito remanete presso. Latinè quoque reclinari dicuntur.Horat.oda.3.lib.2.

Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum beâris. Hinc lectus epulantium discubitorius Hebraicè מטה à נטה quod inclinare & reclinare se significat,nomen inuenit. vide Ester 1.6. & ibid.cap.7.8. ex quo loco discis antiquam hanc accumbendi consuetudinem fuisse, vt & Iudith 12.15. & Ioh.13. 23, 28.

Iuxta omnia altaria in domo Deorum suorum.] Idololatræ in idoleijs suis coram idolis conuiuantes accumbebant. 1.epist.ad Cor.8.10. Si quis te viderit in idoleio accumbere,conscientia infirmi instruetur ad comedendum ea quæ sunt idolis mactata.Ibi cap.10.21. Non potestis poculum domini bibere & poculum dæmoniorum. Horat. oda. 37.lib.1.

Nunc est bibendum,nunc pede libero
Pulsanda tellus,nunc saliaribus
Ornare puluinar deorum
Tempus erat dapibus sodales.

6 *Amorrhæos.*] Sub Amorrhæis reliquæ etiam Cananæorum gentes intelligendæ videntur, quas Deus similiter perdidit. Synecdoche speciei,vt Genes.15.16.Non est completa iniquitas Amorrhæi adhuc. Ex alijs Cananæorum familijs hi potissimum nominantur propter ipsorum potentiam, qua hîc cedris & roboribus conferuntur. Reges illos qui Iosuæ 9.10. dicuntur Amorrhæorum fuisse, magnos & fortes vocat Dauid.Psal.136.17.

10 *Arctaturus sum.*] Vox מעיק Chaldaica est pro Hebraica מצרק quæ arctare significat, harum literarum

rum ע & צ commutatione. Qua similiter ארעא pro ארץ Chaldaicè dicitur,& עאן pro צאן. Sensus est,Vt plaustrum segete demessa onustum, in locis arctis ita hærere solet,vt neque progredi nec regredi possit:Ita ego vos in eas angustias adducam,vnde vos ipsos minimè expedire valeatis. Hoc sequentibus versibus pleniùs declaratur. Loci angustia pro malis & rebus afflictis & aduersis metaph. frequens est.Psal.4.2. In angustia dilatasti mihi.Prouerb.4.12. Cum ambulaueris,non arctabitur gressus tuus. 2.ad Cor.4.8. Premimur, at non coarctamur στενοχωρέμθοι. Στενοχωρία verò propriè loci angustias significat, at ibi grauissimas afflictiones.

Locum.] Tremellius ita hîc תחת interpretatur, rectè. Locum enim quandóq; designat. Exod.10.23. Neque surrexit quispiam è loco suo. מתחתיו

Arctatur.] Verbum quod initio versus transitiuũ erat, hîc absolutum est,vt Quimquius rectè iudicauit in radice עוק. Talia à Grammaticis Hebræis multa enumerãtur.

Onustum.] Vulgatus ita interpretatur : Hebraicè verò dicitur plenum sibi. In datiuo sibi pleonasmus est, qualis Ose 8.9. Onager solitarius sibi.

עמיר *manipulo.*] Id est, manipulis.Synecdoche, vt Mich.4.12. congregabit eos tanquam manipulum,i.manipulos in aream. De manipulis vsurpatur excisæ segetis, & (vt loquitur Varro)stramenti demessi quod cum spica hæret. Atque hæc huius loci sententia est ab Hebræis expositoribus probata & explicata, quam alij plerìq; omnes nõ animaduersam suis interpretationibus obscurauerunt. Quòd autẽ ita interpretor, Arctaturus sum locũ vestrum, potest etiam ita non incõmodè reddi, Arctaturus sum sub vobis,scz.locum vestrum,vt post coarctandi verbum,accusatiui locum vel spatium designantis ellipsis sit,qualis post verbũ contrariæ notionis quãdoq; exprimitur.Psal.18.37. Dilatasti sub me gressum meũ,i.locum vel viã qua incedo. Nonnunquam similiter subauditur,vt Psal.4.2.In angustia dilatasti mihi,subaudi locum.Gen 26.22. Iehoua dilatauit nobis,supple locum. Hac ratione de sensu priore nihil de-

cedit. Hoc enim dicitur, Deum viam qua ituri sint ita in arctũ compressurum, vt pedibus eorum in ea figendis spacium desit.

12 *Tenens arcum.*] Sagittarij periphrasis est, vt apud Latinos deus sagittandi peritus arcitenens vocatur.

13 *Nudus.*] Hoc est, superioribus & militaribus vestibus exutus quæ fugientem impedire possent. Sic 1. Sam. 19. in fine, Saul cecidit nudus toto die, vel nudus pedes aut crura tantùm, per synecdochen intelligi potest. vide Esa. 20. 3. & Micheæ 1. 8.

Caput 3.

AVdite verbum hoc quod loquitur Iehoua contra vos filij Israelis, contra totam familiam quam eduxi de terra Ægypti dicendo.

2 *Tantùm vos noui ex omnibus familijs terræ: idcirco animaduertam in vos omnes iniquitates vestras.*

3 ‖ *An ibunt duo vnà nisi conuenerint?*

4 *An rugiet Leo in sylua, si nulla sit ei præda? an edet leunculus vocem suam è lustro suo, nisi si cœperit?*

5 *An cadet auis in laqueum humi, si tendicula non adsit ei? An tollet laqueum è terra, si prorsus nihil cœperit?*

6 *An clanget tuba in vrbe, populúsq; non timebunt? an erit malum in ciuitate quod Iehoua non efficiat?*

7 *Non enim faciet Dominus Iehoua quicquam, nisi reuelârit secretum suum seruis suis prophetis.*

8 *Leone*

8 Leone rugiente quis nón timeat? Domino Iehoua edicente,‖quis non prophetet?

9 Promulgate in palatijs Azoti, & in palatijs in terra Ægypti, & dicite,‖Colligite vos ad montes Samaria,& videte vexationes plurimas in medio eius,& oppreſſos in medio eius.

10 Neque nouerunt facere rectum, ait Iehoua, theſaurizantes iniuriam & vaſtitatem in palatijs ſuis.

11 Idcirco ſic ait Dominus Iehoua, hoſtis [erit,] & in circuitu huius terræ, qui deijciet à te‖robur tuum,& diripientur palatia tua.

12 Sic ait Iehoua, Quemadmodum eripit paſtor ex ore leonis ambo crura,aut particulam auris: ita eripientur Iſraelitæ, qui deſident Samariæ‖in latere lecti,‖& Damaſci [in latere] ſpondæ.

13 Audite & teſtificamini in domum Iacobi, dicit Dominus Iehoua,Deus exercituum.

14 Quòd quo die animaduertam defectiones Iſraelis in ipſum,animaduerſurus ſum quoq; in altaria Bethelis, & ſuccidentur cornua altaris, & cadent in terram.

15 Et percuſſurus ſum‖domum hyemalem cum domo æſtiua, & peribunt domus‖eburneæ, & conſumentur domus amplæ,ait Iehoua.

ANNOTATIO.

3 *An ibunt.*] Securos huius prophetæ tempore multos fuiſſe conſtat ex cap.6. 1,3. Quidam putabant Deum prophetas non miſiſſe ad mala denuncianda. Quales fue-

runt olim Achab & Tsidkia,1.Reg.22.18,24,27, & Azaria, Ierem.43.2. falsum loqueris, non misit te Iehoua, &c. sed Baruc te incitat contra nos. Hîc ergo contra hoc genus hominum vocationem suam asserit similitudine. Vt enim homines simul ire de eadem re non solent, nisi antè inter eos conuenerit : Ita prophetæ à se nihil, sed à Deo duntaxat accepta loqui possunt,cùm eum ad omnia quæ loquuntur quasi præsentem habeant comitem.Exod. 4.12. Adero ori tuo. vide Math.10.20.& Ierem.1.8. qui res etiam à se verbo prædictas, re ipsa tandē perficiat. Quod inter Deum & prophetas summum consensum arguit.vide vers. 7. & 8. Alij de certitudine malorum denunciatorum dubitauerunt,vt cap.6.3. Contra quos disputat tribus similitudinibus:Leonis,cuius rugitum,& Aucupis,cuius insidias certa præda consequi solet: Deniq; tubicinis, clangore tubæ populū aduentantis periculi non vano metu perterrefaciētis. Hinc intelligi vult,prophetarum prędictionem de malis futuris, non temere fieri putandam esse. Postremo in loco,fine versus 6. prouidentiam Dei asserit, contra eos qui malarum rerum euentum fortuitum putauerunt, quòd Deus solus earum author sit, eásq; se facturum antè prophetis ostendit.

8 *Quis non prophetet.*]Contra eos qui prophetis interdixerunt,ne prophetarēt suprà 2.12.vide Act.4.20. & ibi 5.29.

9 *Congregamini & videte.*] Vt ex hoc spectaculo voluptatem capiatis. Ampla enim vobis exultandi materia erit ex tantis inuisi populi sceleribus visis, à quibus diu vindicta diuina non abfuerit.

10 *Iniuriam & vastationem.*] Id est, opes iniustè quæsitas,& ex aliorum oppressione partas.Metonymia,vt Prouerb.10.2. Non profuerint thesauri improbitatis.

11 *Robur tuum.*] Id est,opes.Meton.vt Prouerb.22.25. robur & res præciosas capiunt. Robur autem vocantur, quia vim,& potentiam ad res agendas afferunt.Euripides in Phœnissis.

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα,
Δυναμίν τε πολλὴν τοῦτ' ἐν ἀνθρώποις ἔχει.

Hinc

Hinc Salomon Prouerb. 10. 15. dicit opes diuitibus vrbi robustæ esse.

12 *In latere vel extremitate lecti*] Vox Hebræa vtróq; modo accipitur. Exteriores autem lecti partes sunt eius latera, quæ Horat. ob eam causam extremam spondam dixit.

Manum puella suauio opponat tuo,
Extrema & in sponda cubet.

Otiosos hîc & securos notat, qui ad latera & exteriores partes lecti interdiu dormiturientes securè quiescere solebant, cap. 6. 1, 4. Væ securis cubantibus super lectos, &c.

Et Damasci in latere spondæ.] בפאת enim ex priore membro repeto ante ערש: Quod sæpiùs in Hebræa lingua fieri notum est, vt dictio aliqua præcedens suppleatur in posteriore parte sententiæ. Nomen verò דמשק quin sit hîc vrbis Damasci proprium, nihil dubito. Iungitur verò Damascus in eiusdem pœnæ societate cum Samaria, quia eodem fere tempore, propter eãdem causam, & ab eodem hoste, vtriúsq; desolatio facta est: Propterea similiter horum populorum vastatio ab Assyrijs futura, cõiunctim declaratur. Esa. 8. 4. Asportabitur opulentia Damasci & præda Samariæ ante regem Assyriæ. Ibidem cap. 17. 3. desinet munitio ab Ephraimo, & regnum à Damasco. Communis autem causa erat, quòd iunctis operis rex Israelis & Damasci Iudæam inuaserant. vide 2. Reg. 16. 7, 9. Et Esa. 7. 4. Eodem tempore quo Damasceni abducti fuerunt, Reubenitæ, Gaditæ, & habitatores Galileæ & terræ Naphtali in captiuitatem deportabantur à Tiglath-Pilesere, 2. Reg. 15. 29. Optima igitur ratio subest quare vnà cum calamitate Samariæ memoretur clades Damasci. Accedit authoritas septuaginta interpretum, Chaldæi paraphrastæ, Hieronymi, Iarchij, Caluini etiam, & Castalionis, ac Merceri: Qui omnes hîc Damascum intellexerunt. Nihil dico de inaudita illa huius vocis altera notione quæ hîc ei à quibusdam tribuitur, & friuolis ac ridiculis coniecturis quibus eam consectantur. Quæ autem contra hanc interpretationem ratio ab apicibus huius vocis affertur, à

Mercero

Mercero diluitur. Plenior verò ſententia hæc eſt. Sic liberabuntur Iſraelitæ Samariæ in extremitate lecti, & Syri (vel Damaſceni) Damaſci, ad ſpondæ latera deſidentes.

15 *Domum hyemalem cum æſtiua.*] Diuites enim ita ſolebant ædes extruere, vt loca quædam hyemi propter calorem commodiora haberent. Ierem. 36.22. Rex ſedebat in domo Hyberna, menſe nono, foco ante eum accenſo: Alia verò æſtiuis menſibus frigore ſuo aptiora. Iud. 3.20. Sedebat in cænaculo refrigerationis, i. æſtiuo. Xenophon in Oeconom. cænacula ei exornata monſtraui.

Τοῦ μὲν θέρους ψυχεινὰ, τῷ δ' χειμῶνος εἰλεεινὰ.

Palladius lib. 1. de re ruſt. cap. 9. Forma ædificij ſit eiuſmodi, vt ad habitationem æſtati & hyemi præbeat manſiones. Manſiones hyemales, totus propemodum curſus Hyberni ſolis hilaret: AEſtiuæ, orientem, ſolſtitialem, & partem ſeptentrionis aſpiciant. &c.

Eburneæ.] Eburneæ vocantur, non quæ totæ ex ebore eſſent, ſed eburatæ. i. ebore ornatæ & obductæ, quales à principibus & nobilibus ac claris viris ad magnificentiam comparabantur. Cicero in paradox. Qui tectis ebore & auro fulgentibus, qui cælato auro & argento abundant. Seneca in Thyeſte.

Non fulget altis ſplendidum tectis ebur.

Ita etiam quod de eburnea Achabi domo dicitur, 1. Reg. 22. & de palatijs eburneis Salomonis, Pſal. 45. intelligendum eſt. Simili ratione purpurei dicuntur purpurati ab Horat. 1. car. od. 35.

Te regum matres barbarorum
Et purpurei metuunt tyranni.

Sic aurea dicuntur aurata. Virgil. AEneid. 1.

Dependent lychni laquearibus aureis.

Horat. *Non ebur, neque aureum*
Mea renidet in domo lacunar.

Caput

Caput 4.

AVdite verbum hoc, ‖ Vaccæ Baſanis, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ ‖ opprimitis tenues, quæ conteritis egenos, quæ dicunt ‖ Dominis ſuis, Affer vt bibamus.

2 Iurat Dominus Iehoua per ſanctitatem ſuam, quòd ecce dies in vos venturi ſunt, & ‖ tollet vos ſpinis, & ‖ poſteritatem veſtram ‖ hamis piſcatorijs.

3 Et per rupturas exibitis quæq; è regione ſui, & ‖ proijcietis eam in palatium, dicit Iehoua.

4 Ite Bethelem & deficite, Galgale defectionem multiplicate: Et ‖ afferte manè ſacrificia veſtra, poſt tres annos decimas veſtras.

5 Et ‖ adolete ex fermentato eucharisticum, etiam indicite voluntaria [ſacrificia,] proclamate, ſiquidem ita amatis (Iſraelitæ) ait dominus Iehoua.

6 Ego verò etiam dedi vobis ‖ munditiem dentium in omnibus vrbibus veſtris, & penuriam cibi in omnibus locis veſtris, nec tamen conuerſi eſtis ad me, dicit Iehoua.

7 Etiámq; ego cohibui à vobis imbrem, cùm adhuc tres mẽſes [ſupereſſent] ad meſſem, & demiſi pluuiam ſuper ciuitatem vnam, ſuper ciuitatem verò alteram non demiſi pluuiam, pars vna compluta eſt, & pars ſuper quam non pluit, exaruit.

8 Et vagabantur ‖ duæ tres ciuitates ad ciuitatem vnam vt biberent aquas, neque ſaturabantur: nec tamen ad me reuerſi eſtis, ait Iehoua.

9 ‖ Percuſſi vos vredine & rubigine, multitudi-

nem

nem hortorum vestrorum,& ‖ vinearum vestrarum, & ficetorum vestrorum, & oliuetorum vestrorum comedit eruca, nec tamen ad me estis reuersi, dicit Iehoua.

10 Immisi in vos pestem ‖ via Ægypti, Occidi gladio iuuenes vestros adiuncta captiuitate equorum vestrorum, fecíq; vt ascenderet fœtor ‖ castrorum vestrorum etiam in nasum vestrum, nec tamen ad me conuersi estis, dicit Iehoua.

11 Subuerti ex vobis prout subuertit Deus Sodomam & Gomorrham, & fuistis ‖ quasi torris ereptus ab incendio, nec tamen ad me conuersi estis, dicit Iehoua.

12 Idcirco sic facturus sum tibi (ô Israel) propterea quòd hoc facturus sum tibi, para te in occursum Dei tui (ô Israel.)

13 Nam ecce formator montium, & creator ‖ venti, quíq; indicat homini quæ sit ipsius meditatio, qui facit auroram obscuram, & proculcat ‖ excelsa terræ, Iehoua Deus exercituum nomen eius.

ANNOTATIO.

1 *Vaccæ.*] Proceribus antè exitium denunciauit, nunc eorum vxores aggreditur, vaccis propter lasciuiam & superbiã collatas. Pinguiores enim iuuencæ lasciuire solent.

Opprimunt.] Nempe ad id faciendum opera maritorum suorum abutuntur.

Dominis suis.] Id est, maritis, vt Genes. 18. 12. Dominus meus senex est. Est autem hîc affixum masculinũ ם pro fœminino ן. vt sequente versu בם pro בן bis ponitur.

2 *Tollet vos.*] Id est, tollemini, abripiemini, vt Esa. 8. 4.

tollet

tollet opulentiam Damaſci,id eſt,tolletur.

Hamis piſcatorijs.] Verbum è verbo,ſpinis piſcationis, i. hamis, סִיר enim, atq; etiam צִנָּה ſpinam propriè ſignificat,per metaphoram hamum piſcatorium. Quomodo חֹרָח etiam vtrúmq; notat,ſpinam,atque hamum. Metaphora eſt à piſcatoribus ſumpta, quibus hoſtes comparari ſolent. Iere.16.16.Immittam in eos piſcatores,qui eos piſcabuntur. Habac.1.15. omnes hamo educit. Vt enim piſces à piſcatoribus trahuntur hamis: Ita victi ab hoſtibus olim vncis,id eſt,ferreis inſtrumentis,ad hamorum ſimilitudinem incuruis,in captiuitatem ducebantur. Eſech.19. 4. Deduxerunt eum hamis in AEgyptum, id eſt, vncis,vt Tremellius vertit.

Poſteritatem veſtram.] Liberos veſtros. Sic Danielis 11.4.non poſteritati eius.

3 *Proïcietis eam.*] Scilicet poſteritatem veſtram. Vos per rupturas fugietis, filiolis veſtris in palatium proiectis. Vel ne exitium eorum viderent, vel vt maiori cum celeritate ſuæ vitæ conſulerent, hoc illas facturas ſignificat.

4 *Afferte.*] Ea idolis veſtris facitote quæ mihi ſoli fieri mandaui,ac in alijs locis, quæ tantùm Ieroſolymæ fieri iuſſi.

5 *Adolete.*] Eſt enim in hoc infinito קַטֵּר ellipſis, vnà cum pleonaſmo, vt loquuntur Grammatici, adolendo, ſupple adolete.

6 *Munditiem dentium.*] Hoc eſt,defectum cibi,quo dentes impurari ſolent.Apuleius in apologia Magiæ.

Miſi vt petiſti munditias dentium,
Nitellas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem,caudificum,nobilem puluiſculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua viſatur tetra labes ſordium,
Reſtrictis ſi fortè labellis riſeris.

Eodem effectorum ſimilium argumento Catullus epigrammate 20. Furij cuiuſdam egeſtatem, & eſuritionem declarat.

Ham

Hæc ad munditiem adde mundiorem.
A te ſudor abeſt, abeſt ſaliua,
Mucúſq;, & mala pituita naſi.

8 *Duæ tres.*] Hoc eſt, aliquot, vt 2. Reg. 9. 32. duo tres Eunuchi. Aſyndeton eſt coniunctionis diſiunctiuæ in vtróque loco, quomodo Latini etiam aliquando loquuntur. Cicero in epiſtolis ad Atticum lib. 10. Florentiſſimus ſex ſeptem diebus perditæ multitudini in odium venit, pro vel ſeptem.

9 *Percuſſi vos.*] Hoc eſt, fruges veſtras. Meton.

Vinearum. &c.] Prout Deus in lege denunciârat, Deuter. 28. 39.

10 *Via AEgypti.*] Eo modo quo AEgyptios olim peſte perdidi, Exod. 9. Horrendæ illæ AEgyptiorũ plagæ erant. Itaq; ſignificat ſe grauiſſimis pœnis eos affeciſſe, ad hoc, vt reſipiſcerent.

Caſtrorum veſtrorum.] Militum in caſtris mortuorum. Caſtra enim metonymi᾽ exercitum & milites notant. Deut. 23. 9. Cum exierint caſtra. Eſa. 34. 3. & Ioelis 2. 20. talis fœtor memoratur.

11 *Quaſi torris.*] Cuius iam magna pars igne abſumpta eſt. Metaph. ad magnas hominum diu afflictorum calamitates ſignificandum, quibus quaſi igne quodam longo tempore exuſti fuerint, vt titioni obuſto ſimiles videantur. Afflictiones & mala ſæpe igni comparantur. Eſech. 22. 20. Sufflabo circa vos ignem iræ meæ. Zach. 13. 9. Tertiam partem in ignem inducam. Pſal. 66. Venimus in ignem, & aquas. Confer hunc locum cum Zachar. 3. 2. vbi eadem phraſis hoc ſenſu occurrit de Ioſua ſacerdote captiuitatis afflictione obtrito, & illorum malorum quaſi flammis ſemiuſto.

13 *Venti.*] Pſal. 135. 7. Educit ventum è theſauris ſuis.

Excelſa terræ.] Hoc eſt, omnia ſubijcit, quantumuis munita & excelſa, & propter altitudinem inacceſſa fuerint. vide Deut. 32. 13. & 33. 29.

Caput

Caput 5.

AVdite verbum hoc, quam ego contra vos tollo ‖ lamentationem, domus Israelis.

2 Cecidit, non surget amplius virgo Israelis: ‖ proiecta est super terram suam, non est qui erigat eam.

3 Sic enim ait Dominus Iehoua, ‖ Vrbs ex qua egrediuntur mille, relinquet centum: & ex qua egrediuntur centum, relinquet decem domui Israelis.

4 Nam sic ait Iehoua domui Israelis, Quærite me & viuite.

5 Bethelem verò ‖ ne quæratis, & Galgalem ne adeatis, & Beersheba ne transeatis: quia Galgal omnino migrabit, & ‖ Bethel erit in nihilum.

6 Quærite Iehouam & viuite, ne pernadat velut ignis ‖ domum Ioseph, & Bethelem consumant, nemine extinguente.

7 Qui vertunt iudicium in absynthium, & iusticiam humi relinquunt.

8 ‖ Qui facit Arcturum, & Orionem, & vertit vmbram mortis in auroram, & diem nocte obtenebrat, qui aduocat aquas ‖ maris, & effundit eas in superficiem terræ, Iehoua nomen eius [est.]

9 Qui recreat vastationem contra fortem, vt vastatio munitioni obueniat.

10 Oderunt ‖ in porta corripientem, & loquentem ‖ integrè abominantur.

11 Propterea, eò quòd prædones agitis contra tenuem, & onus frumenti accipitis ab eo: Domos cæso lapide

lapide ædificastis, sed non habitabitis in eis: vineas desideratissimas conseuistis, sed non bibetis vinum earum.

12 Quia noui multas defectiones vestras, & numerosa peccata vestra, affligunt iustum, accipiunt ‖munus, & egenos in porta peruertunt.

13 Idcirco intelligens ‖tempore illo ‖silebit, quia ‖tempus malum [erit.]

14 Quærite bonum, non autem malum, vt viuatis: & erit Iehoua Deus exercituum vobiscum, quemadmodum dixistis.

15 Odio habete malum, & amate bonum, ac constituite in porta ius: fortasse gratiosus erit Iehoua Deus exercituum reliquijs Ioſephi.

16 Idcirco sic ait Iehoua Deus, exercituum Dominus, In omnibus plateis planctus [erit,] & in omnibus vicis dicent, heu, heu: & ‖accersent agricolæ ad luctum & planctum, ‖peritos lamenti.

17 Etiam in omnibus vineis erit planctus, cùm transibo in medio tui, dicit Iehoua.

18 Væ ‖concupiscentibus diem Iehouæ: quorsum hunc vobis? dies Iehouæ tenebrarum, non autem lucis [dies est.]

19 Tanquam si fugiat quispiam à conspectu leonis, & occurrat ei vrsus: aut domum veniat & innitentem manu ad parietem, mordeat serpens.

20 An non ‖tenebricosus dies Iehouæ, non autem lucidus, & caliginosus, & cui splendor non est?

21 Odi, sperno dies festos vestros, ‖nec ferias vestras olfaciam.

22 Nam

22 Nam si obtuleritis mihi holocausta, & munera vestra, non accepta habebo, & eucharisticum pinguium vestrorum non intuebor.

23 Amoue à me strepitum canticorum tuorum, & melos nabliorum tuorum non audiam.

24 Sed fluat ‖ tanquam aqua ius, & iusticia vt torrens validus.

25 An sacrificia & munera ‖ obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israelis?

26 ‖ Portastis verò Siccuth ‖ regem vestrum, & ‖ Chiunem imagines vestras, ‖ sydus Dei vestri, quæ fecistis vobis.

27 Quapropter deportabo vos ‖ vltra Damascum, dicit Iehoua, Deus exercituum nomen eius.

ANNOTATIO.

1 *Lamentationem.*] Prophetiam de exitio vestro lamentabilem, vt Esech. 32.2. tolle lamentationem contra Pharaonem regem AEgypti. Hoc autem lugubre elegidion versu sequente continetur, quo deflet futuram ruinam eorum, rebus adhuc integris, perinde ac si iam aduenisset, more prophetarum, præterita pro futuris vsurpantium.

2 *Proiecta est.*] Hieronymus verbum נטשה ita interpretatur. Iarchius etiam fatetur de re proiecta & dispersa vsurpari. Mercerus quoque נטשה inquit prostrationem significat, quum quid humi proiectum relinquitur: Rectè quidem, vt mihi videtur, de huius vocis significatu iudicauerunt. Numeri 11.31. Ventus coturnices ad castra strauit, vel proiecit: וירטש 1. Samuelis 30. 16. Ecce נטושים proiecti fuerunt super terram, vel strati. Proiectum autem aliquando dicitur quod iacet, per meton. Matt. 8.14. vidit socrum eius in lecto βεβλημένην proiectam, id est, iacentem, decumbentem, vt Marcus cap. 1.30. declarat,

rat, κατέκειτο. Hæc significatio huic loco rectè quadrat, atque etiam superiori, videlicet 1. Sam. 30. vbi proiecti vel strati dicuntur iacentes, vt Castalio ibi vertit.

3 *Vrbs egrediens mille.*] Id est, ex qua mille egrediuntur. Hebraismus : quo per metonymiam subiecto tribuitur quod adiuncti est. Sic Ierem. 9. 18. descendant oculi nostri lacrymis, pro lacrymæ ex oculis. Ioelis 3. 18. valles ibunt lacte, pro lac vallibus. Ex vrbe verò mille egredi dicuntur, quæ mille ciues vel habitatores continet : qui à communi omnibus exitu, dicuntur egredientes porta vrbis. Genes. 34. 24. Auscultabant ei omnes porta vrbis illius egredientes, hoc est, ciues. Simili periphrasi etiam ingredientes portam dicuntur, Gen. 23. 10.

5 *Ne quæratis Bethelem.*] Hoc est, ne eò quæsitum & consultum eatis. Quo fere modo quærendi verbum à Tremellio explicatur. Esa. 11. 10. Ad eum gentes consulturæ venient: verbum è verbo, quærent ad eum.

Bethel erit in nihilum.] Non erit ampliùs Bethel, hoc est, domus Dei, sed Bethauen, hoc est, domus vanitatis & nihili, vt vocatur. Ose. 4. 15. Allusio in nomine est.

6 *Domum Ioseph.*] Regnum decem tribuum, quod in Osea sæpè intelligitur nomine Ephraimi, qui filius Ioseph erat. Huius ratio est, quòd tribus Ephraimi potentissima & populosissima erat, ex qua etiam primus decem tribuum rex Ieroboam sumebatur. Synecdoche.

Humi relinquunt.] Negligunt, spernunt. Iacent enim ea semper quæ apud quósq; improbantur, ait Cicero. Sic Dan. 8. 12. Veritas contempta & spreta in terram deiecta esse dicitur.

8 *Qui facit.*] Ratio est illius hortationis versu. 6. Quærite Iehouam, à mirabili illius potentia qua hominibus reuerendus est. vide cap. 4. 12, & 13. versibus.

Qui aduocat aquas maris.] Pluuiæ generationem ostendit. Summus author Deus est. Mediæ causæ, Materialis, mare vapores suppeditans : Instrumentum, Sol cuius calore vapores è mari extractos tollit, & quasi accersit Deus in mediam aeris regionẽ, à cuius frigiditate fit vt in aquas

pluuias

pluuias reſoluantur. Quod Quimquius feruentis ollæ ſimilitudine in radice אויר illuſtrat,ex qua vapores & fumi ad operculum frigidius aſcendentes, in aquas vertuntur. Geneſ.2.6. Vapor aſcendit & irrigauit ſuperficiem terræ vniuerſam.

Maris.] 1. Regum 18. 44. Elias audito nubem paruam è mari aſcendere,iunge equos,inquit,& abi,ne te pluuia intercludat. Interea cælo nubibus obſcurato, magna pluuia erat. Lucretius lib.6.

Humorem magno tollunt ex æquore ponti
Nubes,qui in toto terrarum ſpargitur orbe,
Cum pluit in terris.

Hac de re Cicero ex opinione Stoicorum 2. de natura Deorum ita loquitur. Sunt autem ſtellæ natura flammæ: quocirca terræ,maris,aquarum vaporibus aluntur ijs, qui à ſole ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur, quibus altæ, renouatæq; ſtellæ, atq; omnis æther refundunt eôdem,& rurſus trahunt indidem.

10 *In porta.*] Porta olim locus iudicij erat. Deut.17.5. & 22.15. & hîc verſibus 12. 15. Siue igitur propheta, ſiue quis iudex integer,ſiue alius aliquis iudicem in porta coargueret,is odio habebatur.Eſa.29.21.Peccati reum peragunt propter verbum, & corripienti in porta tendiculam ponunt.

Integrè.] תמים per ellipſin præpoſitionis ב aduerbiaſcit.Pſal.15.2. הולך תמים qui ambulat integrè.

12 *Munus.*] Vel precium redemptionis, vt 1.Sam. 12. 3. A cuius manu precium redemptionis accepi.

13 *Tempore illo.*] Quo Deus populum ſuum iudicauerit, vt Micheæ 3.4. Tunc clamabunt,&c.

Silebit.] Id eſt, patienter feret Dei ferulas, placidéq; ſe ipſius voluntati ſubmittet,vt Pſal.39.10.Obmutui,neq; os meum aperui,quia tu feciſti.

Tempus malum.] Aduerſum & calamitoſum, quo Deus iudicia ſua exercuerit. Pſal.41.1. In die mali liberat eum Iehoua.

16 *Accerſent agricolæ ad luctum & planctum peritos la-*

menti.] Noua interpretatio est: at ea, quæ quin sit vera, mihi persuadere non possum. אבר igitur primùm existimo poni per synecdochen pro אברים & pluraliter agricolas significare. Neque enim vnius alicuius agricolæ luctum hîc agi verisimile est,& hic tropus vulgatissimus est, quo numerus singularis pro plurali dicitur. Deinde,idem nomen, verbi קראו suppositũ esse iudico,agricolæ accersent. Quod ita esse Iarchius quoque censuit,quãquam aliter exponit: Agricolarum cateruæ occurrent. Postremò,verbum קרא post se regere præpositionem אל in accersendi notione vsitatum est. Conferatur hic locus cum Ierem.9.17. Vbi ad similem sententiam de accersendis ad luctum peritis lamentandi præficis, idem verbum similem habet constructionem קראו למקוננות. Nam קרא etiam cum præpositione ל sæpe accersere, hoc est,vocare quidem,sed per alium significat.

Communem igitur luctum declarat,distributione illius in varia lugentium genera. Primum ciuium est in plateis vrbium eiulantium: Secundum Agricolarum in villis & agris: Tertium vinitorum in vineis. Sic Ioelis 1. Flete ebriosi,lugent sacerdotes,erubescunt agricolæ, eiulant vinitores.

Peritos lamenti.] In sepultura olim cantores ad luctum flebili cantu excitandũ adhiberi solitos esse, declarat Homerus in fine Iliad. de Hectore sepulto loquens.

ἀμφὶ δ' ἔπειτα

Τρῳῇσιν, ἐν λεχέεσσι θέσαν παρὰ δ' εἶσαν ἀοιδοὺς,

Θρηνῶν ἐξάρχους, οἵτε γοήσαντο ἀοιδῇ,

Οἳ μὲν ἀρ' ἐθρήνεον. ὀπὶ δ' ἐστενάχοντο γυναῖκες.

Horatius de arte poetica.

Vt qui conducti plorant in funere,dicunt,
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo,sic
Derisor vero plus laudatore mouetur.

Hi Latinè siticines dicti sunt,quòd apud sitos, hoc est, vita functos & sepultos in honorem mortuorum cantus lamentabiles canere soliti essent,vt ex Attei capitonis cõiectaneis ostẽdit Gellius li.20,cap.2.& Nonius Marcellus.

18 *Desiderantibus.*] Qui scilicet verbis præ se ferebant diei illius desiderium, ita securitatem suam declarantes, quasi nihil dubitarent quin à malis denunciatis immunes forent, vt Esa. 5.19. Acceleret Deus opus suum, adueniat consilium eius vt sciamus. Ierem.17.15. Dicunt mihi, vbi est verbum Iehouæ? adueniat iam. Est enim מתאוים participium coniugationis illius quæ non semper veram, sed aliquando fictam actionem denotat, vt Eliah docet in Grammatica sua Hebræa oratione 1.cap.13.sect.2.ex Pro. 13.7. מתעשר ואין כל מתרושש והון רב רש. Est qui se diuitem simulat cùm desint omnia, item qui se pauperem fingit cui substantia ampla est. Sic 1.Sam. 21.13. התחולל significat se insanum simulare. Ironixως igitur videntur hunc diem optasse, vt suam incuriam ostenderent, non reuera ex animo, vt in illis locis Esaiæ & Ieremiæ.

20 *Tenebricosus.*] Ad verbum, tenebræ. Metonymia adiuncti. Dies autem tenebrosus, vocatur tempus triste & luctificum, ac acerbum. Metaph. Tale illud Virgilianum est AEneid.11.

Mœstámq; Euandri primus ad vrbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

Horat.4.car.oda.4.

Quid debeas ô Roma Neronibus,
Testis Metaurum flumen, & Hasdrubal
Deuictus, & pulcher fugatis
Illic dies Latio tenebris.

Contrà, luc is nomine eodem tropo lætitia & gaudium intelligitur. Esteræ 8.16. Iudæis fuit lux & lætitia.

21 *Nec ferias vestras olfaciam.*] Hoc est, sacrificia feriarum vestratum. עצרת enim propriè diem interdicti festum denotat, vel ferias, vt Castalio vertit, in quibus ab opere cessabatur. Hîc verò per Meton. illius diei festi sacrificium designat, vt verbum odorandi adiunctum arguit, quod de sacrificijs Deo gratis & acceptis sæpe vsurpatur, Gen.8. in fine, Cum Noachus holocausta obtulisset, Deus

gratum inde odorem odoratus est. 1.Sam.26.19. Si te Iehoua contra me incitauit,odoretur munus. Simili ratione חג proprium festi nomen est, & tamen eo modo festi sacrificium notat.Exod.23.18.

24 *Fluat tanquam aqua.*] Verbum è verbo,voluatur tanquam aqua. Volui per metaph. dicitur pro fluere, quia aquæ,præsertim quæ concitatiore cursu feruntur, volui videtur.Sic Virg.Georg.3.loquitur. *Non qui per saxa volutus. Purior electro campum petit amnis.* Columella lib. 1.cap.5. Huic proxima fluens aqua è montibus oriunda, quæ per saxa præceps deuoluitur. Hinc fluctus Hebraicè גלים à voluendo dicuntur. Quod ad loci sententiam attinet,ea mihi esse videtur, quam Hebræi interpretes explicant : Nempe Iehouam externa sacrificia non morari,sed hoc ab illis postulare, vt iusticia abundet, & passim ab hominibus colatur, & copiosè vbiq; vigeat. Conferatur hic locus cum Esa.1.16.& Mich.6.8.

25 *Obtulistis.*] Obtulerant quidem, sed Deus negat sibi fuisse oblata,quia ei grata non fuerunt: quippe quæ & cordis pietate vacua, & cum idololatria mixta erant, vt proximus versus docet. Esa.43.23. similis locus est. Non obtulisti mihi pecudes holocaustorum tuorum, nec me sacrificijs tuis honorauisti, quin iniquitatibus & peccatis tuis me fatigasti. Tali autem cultui prorsus renunciat Deus,Esech.20.39. Ite,colite stercoreos Deos, quãdoquidem mihi non auscultatis, neque nomen meum prophanate ampliùs donis vestris.Deus autem solus coli vult, aut non omnìno: suæ gloriæ participem ferre non potest.

26 *Portastis.*] Idola humeris gestari solita esse discimus ex Esa.46.7.Argentum appendunt,conflatorem conducunt, vt faciat ex eodem cui procumbentes incuruant sese,humero sublatum portant,& Baruci 6.3. Videbitis in Babylonia Deos aureos, argenteos, ligneos, humeris sublatos.Ibidem 25.carentes pedibus,humeris feruntur.

Regem vestrum.] Idola honore regio culta reges vocitabantur. Sophon.1.5. Qui per Iehouam iurant & regem suum. Vt enim Iehoua rex populi sui dicitur, Esa.44.6.

Sic

Sic ait Iehoua rex Iſraelis: Ita idololatræ deos ſuos reges appellitauerunt. Quòd verò quidam ita interpretantur, Melechi veſtri, quaſi proprium ſit idoli nomen, ne veriſimile videatur, facit affixum adiunctum: Propria enim nomina cum pronominibus affixis non ſolent componi, vt in capite ſpecierum docet Eliah.

Chijunem imagines veſtras.] Id eſt, imaginem. Pluralis meo iudicio pro ſingulari ponitur ea ratione qua in voce ſequente אלוהיכם Deorum veſtrorum, pro Dei veſtri. Frequens Hebraiſmus in nominibus dignitatis. Sic enim קדושים ſancti, pro קדוש ſanctus, אדונים Domini, pro אדון Dominus, & בעלים poſſeſſores, pro בעל poſſeſſor. Quare autem צלם inter id genus nomina non ponatur, cùm imaginem notet pro Deo habitam & cultam, non video. Hieron. in commentarijs ad hunc locum, & libro de nominibus Hebraicis, inter ea quæ ex Amoſo interpretatur, pro כיון Kijun habet Rephan, vt etiam pro eodem Act. 7. 43. ῥαφάν in quibuſdam exemplaribus Græcis & tranſlatione Syriaca legitur. Itaq; pro כיון in ſcriptura ſine pũctis exarata lectũ, videtur כיון *Keuan.* Hinc poſtea *Reuan* factum vel ex Græcis (vt diuinat Mercerus,) vel ex Hebræis literis (vt ego magis exiſtimo) errore nato. Non magnum enim, ſi figuras ſpectemus, inter כיון & ריון diſcrimen eſt. Pro Reuan verò Rephan dicitur, commutatis illis literis, quæ propter affinitatem ſuam alternam inter ſe migrationem habẽt. Hinc dafos pro dauus olim ſcribebatur, & ſerfus pro ſeruus, & in Latino alphabeto f eum locum habet, quem in Hebræo vau. Quod verò nunc vulgo eo actorum loco Remphan ſcribitur, euphoniæ tribuendum eſt: Cuius gratia veteres ante p & b in multis dictionibus m literam interponebant. Hinc tympanum à תוף. ſompnus primùm pro ſopnus à Græco ὕπνος, poſtea ſomnus: Lampas à לפיד Sambation pro Sabbation, Ambubaia à Chaldæo אבובא ambuba: κνάπτω κναμπτω adde illud Virgilij AEneidos 10.

Et capis, hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.

Sydus Dei veſtri.] Hoc eſt, Deum veſtrum. In hoc enim

loquendi genere, posterius substantiuũ per appositionem in eodem casu cum priore exponendum interdum venit: vt expansum cæli idem valet quod expansum quod cælum est, ait Aben Ezra ad vltimum versum primi cap. Genes. Similis loquutio videtur Esaiæ 21.9. sculptilia Deorum eius. Sculpta enim simulacra ab eis pro dijs culta ibi intelligas licet: vel vt Tremellius vertit, sculptiles Deos. Tale illud est Horatij lib. epod. oda 2. *Aut herba lapathi.* Et satyra 4. lib. 2. *Et lapathi breuis herba.* Talia etiam illa, vrbs Antiochiæ apud Ciceronem, & oppidum Cumarum apud Palladium. Hieronymus hîc stellam luciferum interpretatur, quem ætate sua dicit à Saracenis cultum fuisse. Nomine verò superiore כיון Aben Ezra Saturnum intelligit.

27 *Vltra Damascum.*] Act. 7. pro hoc legimus vltra Babylonem. Vtrumq; verum. Abducti enim fuerunt in Assyriam. Sed Damasci ob eam causam hîc, ni fallor, mentio fit, quòd ea via deportati fuerint per Damascum. Verisimile enim est Tiglath-Pileserum ab Achabo accersitum cõtra Israelitas & Syros pugnatum, primùm Israelitas inuasisse, ac Reubenitas & Gaditas, cum dimidia tribu Manassis, & incolis Galileæ, ac totius terræ Naphthali victos abduxisse, cúmq; ea captiuitate Damascum contra Syros profectum esse, quos etiam similiter eodem tempore subiugatos deportauit. Esa. 8.4. tolletur opulentia Damasci, & præda Samariæ ante regem Assyriæ. vide 2. Reg. 15. 29. & 1. Par. 5.26. & 2. Reg. 16 9. & suprà annotata ad versum 12. cap. 3. Nam Achas, qui illum Assyriæ regem ad id bellum faciendum conduxerat, dicitur profectus esse obuiam Tiglath-Pileseró Damascum, ad gratulandum ei de victoria, vt probabile est, quasi ibi illius belli contra Israelitas & Damascenos gesti finis fuerit.

Caput

Caput 6.

VÆ tranquillis Sione, & ‖ confidentibus in monte Samariæ, qui nominantur principium gentium, ‖ ad eos venerunt domus Israelis.

2 ‖ Transite in Calnen, & videte: & ite illinc in Emath magnam, ac descendite Gathum Philisteorum: An præstantiores sunt ‖ regnis istis? an amplior est regio eorum regione vestra?

3 Væ ‖ longè repellentibus diem mali, & qui admouetis sedem violentiæ.

4 Cubantibus super ‖ lectos eburneos, & extendentibus se super spondas suas, & comedentibus agnos è grege, & vitulos è medio saginarij.

5 ‖ Modulantibus ad nablium: [qui] sicut Dauid excogitant sibi instrumenta musica.

6 Bibentibus in crateribus vini, & præstantissimo vnguentorum sese vngunt: neq; dolore afficiuntur propter calamitatem Ioseph.

7 Propterea mox migrabunt in capite migrantium: & ‖ amouebitur epulatio extensorum.

8 Iurauit dominus Iehoua per seipsum, dicit Iehoua Deus exercituum, detestor ego gloriam Iacobi, & palatia eius odi: ideóq; traditurus sum ciuitatem, & quæ implent eam.

9 Eritq; si relicti fuerint decem homines in domo vna, vt ‖ moriantur.

10 Et tollet ‖ eum patruus eius, & vstor eius educturus est ossa è domo: dicétq; illis qui in lateribus

domus

domus illius sunt, An est præterea quisquam apud te? Et dicet minimè: tum ‖ sile, inquiet, non enim Iehouæ ‖ nomen commemorandum est.

11 Nam ecce Iehoua præcepturus est, & percussurus domum maiorem ‖ rupturis, & domum minorem scissuris.

12 ‖ Num in rupe equi current, aut bobus arabitur? nam mutastis ‖ in cicutam ius, & fructum iustitiæ in absynthium.

13 Qui lætamini de nihilo: qui dicitis, nonne robore nostro ‖ sumpsimus nobis cornua?

14 Quia ecce ego excitaturus sum contra vos, ô domus Israelis, dicit Iehoua Deus exercituum, gentem, & prement vos ab aditu Chamathæ vsque ad ‖ flumen campestrium.

ANNOTATIO.

1 *Confidentibus in monte Samariæ.*] Sensus est, confidentibus, qui in monte Samariæ habitant. Confidentes autem hîc securos appellat, vt Esaias similiter, cap. 32.11. trepidate tranquillæ, commouemini confidentes. Hoc ob eam causam lectores admonendos putaui, ne vocem confidentibus cum sequentibus coniungerent, quasi ij sint intelligendi, qui fiduciam suam in eo monte collocauerunt.

Principium gentium.] ראשית vt principium significat, ita etiam quod præcipuum, primarium, & præstantissimum est. Hîc versu 6. infrà, vnguentorum principio se vngunt, id est, optimis & præcipuis quibuscunq; vnguentis. Sic igitur principium gentium dicuntur primariæ & præcipuæ gentes, vt Numerorum 24.20. Amalec principium gentium. Cananæorum gentes ita hîc dicuntur à robore & fortitudine sua qua cæteris præcelluerũt. Deut. 7. Deijciet Iehoua à facie tua gentes maiores & robustiores

ores te, Amorrhæam, Chiuæam, Cananæam, &c. Huius prophetiæ cap. 2. vers. 9. Amorrhæi roboribus & cedris conferuntur.

Ad eos venerunt.] Inuaserunt eos Israelitæ, & pulsis successerunt.

2 *Transite.*] Conferte vos ad præstantissimas circumquáq; vrbes, Seleuciam in Mesopotamia ad orientem: Inde Chamatham ad aquilonem: Postea Gathum Philisteorum ciuitatem, partim ad occidentem partim ad meridiem sitam. Experientia discetis regionem vestram excellere.

Regnis istis.] Quæ ab Israelitis tenentur. Erant enim certè multis nominibus laudatissima, vt Deut. 8. 7. videre est, & Numerorum 14. 7, 8. versibus.

3 *Longè repellunt.*] Securitatem hîc eorum arguit quos primo versu appellârat, ex eo quòd mala denunciata ad se minimè tam citò peruentura credebant, sed in tempora longiora reiectum iri, vt illi apud Esechielem, cap. 12. dicentes visionem in dies multos esse, & in longinqua tempora. Hinc factum est vt se iniquitati & violentæ oppressioni tenuiorum dederent, & omne genus voluptatibus securè indulgerent. Rectè enim 2. lib. in Eutropium Claudianus.

Sed quàm cæcus inest vitijs amor, omne futurum
Despicitur, suadétq; breuem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido,
Dum mora supplicij lucro, serúmq; quod instat
Creditur.

De huiusmodi securitate fugienda vtilissimam habemus admonitionem Christi, Math. 24. 42, 48.

4 *Lectos eburneos.*] Opulenti & locupletes, ad elegantiam & ornatum, suas ædes eiusmodi lectis decorabant. Varro in Prometheo.

Eburneis lectis, & plagis sigillatis. Horat. sat. 6. lib. 2.

Ponit vtérq;
In locuplete domo vestigia, rubro vbi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

Chaldæus

Chaldæus paraphraſtes hîc ebore obductos & ornatos intelligit, veriſimiliter: Eam enim in lectis ornandis conſuetudinem fuiſſe illud Plauti in Sticho arguit. Lanam, purpuram, lectos eburatos, auratos, babylonica periſtromata, ſellas, & tapetia aduexit. Varro in Quinquatribus. Cum in eborato lecto cubare videas ægrotum. Sic capitulo 3. 15. Domus eburneæ dicebantur ebore ornatæ.

5 *Modulantibus.*] Verbum פרט putatur propriè ſignificare, ſpeciatim, ſigillatim, ac particulatim diſtinguere. In ea ſignificatione à Rabbinis vſurpatur. Atque ita cognatum videtur verbo פרר, quod etiam diuidere, diſtinguere, & ſeparare notat: Hîc verò canere ſignificat, vt Chaldæus, Vulgatus, Caluinus, Caſtalio, Mercerus, Tremellius interpretantur. Non id quidem ſine ratione, propterea quòd in cantu, vocis ſonus multis modis variatur, multas habet diuerſorum tonorum, modulorum, numerorum diſtinctiones. Similem vim habet Latinum verbum modulor: Cantare enim ſignificat, ab ea quæ inter canendum adhibetur diſtinctorum modulorum in diſcrepantibus ſonis varietate. Seneca in Agam.

Non quæ verno nobile carmen
Ramo cantat querula Edonis
Ityn, varios modulata ſonos.

Hinc Horatius diuidere carmina dixit, pro diſtinctè modulari, interprete Lambino, oda 15. lib. 1.

Gratáq; fœminis,
Imbelli cithara carmina diuides.

7 *Amouebitur epulatio extenſorum.*] מרזח epulationem funebrem ſignificare puto, vt nomen ex eadem radice מַרְזֵחַ Ierem. 16. 5. Hieronymus intellexit de epulis lugubribus in mortuorum honorem factis. Hoc igitur mihi dicere videtur, epularum funebrium celebritatem amotum iri, cùm mortui fuerint: Deportatos in terra aliena ita morituros, vt funeris pompa, & parentalium honore carituri ſint: Solet enim hoc improbis quandóq; pro grauiſ-

grauissimo malo denunciari. Ierem.22. 18.19. Non plangent eum : sepultura asini sepelietur. vide eundem prophetam, cap.16.4,6,7, versibus. Multi interpretes ad lætiores compotationes referunt. De quo etsi non magnopere contenderim, quia Latinè quoq; epulum cœnam quandóq; funebrem, in honorem mortui à lugentibus celebratam notat, aliquando latiùs patet : tamen proprietas, & vsitata illius vocis significatio facit, vt priorem interpretationem huic posteriori anteponam.

8 *Gloriam Iacobi.*] Id est, glorioſum eorum templum, aliáq; similia Dei dona in quibus gloriabantur. Metonymia, vt Psal.47.5. Elegit nobis possessionem nostram, gloriam Iacobi quam amauit.

9 *Moriantur.*] Sæuam pestem totas domos absumpturam significat, ait Caluinus in versum sequentem.

10 *Patruus eius.*] Tantam hominum paucitatem relinquet pestis, vt præ aliorum defectu vel patruus ipse, aliíq; cognati hoc genus officij præstare mortuo cogantur. Similis sententia est apud Senecam in Oedipo.

Omnis ætas pariter & sexus ruit :
Iuuenesq; senibus iungit, & gnatis patres
Funesta pestis. Portat hunc æger parens
Supremum ad ignem, mater hunc amens gerit,
Properatq; vt alium regerat in eundem rogum.

Sile.] Eum qui in lateribus domus relictus negauerat quenquam præterea esse, iubebit patruus vel vstor tacere, & patienter hanc pœnam ferre.

Non enim nomen Iehouæ, &c.] Desperantis meliorem fortunam vox est, animúmq; malorum grauitate despondentis, vt mihi videtur : quasi dicat, Noli Deum querelis tuis & inuocatione fatigare. Ipse iam iram suam in nos quasi hostis propter peccata nostra cæpit effundere, neque vlla spes est vt ab ea auertatur, quin vindictam inceptam perficiat. Eò enim homines depressi asperitate malorum rediguntur, vt spem liberationis abijciant. Quo modo illud, Lament. 1.9. non recordata est finem suum, exponitur à Caluino.

11 *Rupturis.*]

11 *Rupturis.*] רסיסים rupturæ dicũtur pro ריצוצים, à רצץ quod quaſſare, frangere, rumpere ſignificant, literarum affinium commutatione ס & צ, vt Quimquius in hunc locum & libro radicum affirmat. Quin verè nihil dubito: Earundem enim literarum permutatione, ſimiliter יקרסס pro יקריצץ ponitur, Eſech. 17. aliáq; plura eiuſdem rationis inueniuntur, vt taceam apud Chaldæos רסס in ea ſignificatione vſurpari.

12 *Num in rupe aut equi current aut bobus arabitur?*] Arabit pro arabitur Hebraiſmus eſt. Verbum enim actiuum 3. perſonæ impersonaliter vſurpatur. Mich. 2. ſumet de vobis parabolam, id eſt, ſumetur. Senſus eſt, eos dum ius & iuſticiam in cicutam & abſynthium vertunt, perinde facere ac ſi in rupe bobus araretur, vel equis ibi curreretur: hoc eſt, præpoſterè, peruerſè, & abſurdè. Tale fere illud Maronis eſt egl. 3. ad facti abſurdi peruerſitatem notandam.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui,
Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

In cicutam & abſynthium.] Hoc eſt, in iniuriam, oppreſſionem, & crudelitatem, quæ cùm ſit amara & exitialis, rectè cicutæ & abſynthio confertur: vt Scytharum eiuſmodi mores ab Ouidio, 3. de ponto.

Triſtia per vacuos horrent abſynthia campos,
Conueniénſq; ſuo meſſis amara loco eſt.

Eodem modo id dictum ab Oſea, floret iudicium quaſi cicuta per porcas agri.

13 *Sumpſimus nobis cornua?*] Hoc loco & alijs quibuſdam, cornua vires dicuntur per tranſlationem. Ita Sulmonenſis ille 1. de arte loquitur.

Vina parant animos, tum pauper cornua ſumit:
Tunc dolor & curæ, rugaq; frontis abit.

Sic Pſalmo 75. 11. cornua impiorum ſuccidam: iuſtorum verò cornua attollentur.

14 *Flumen campeſtrium.*] Ex tot interpretibus, ſolus (quod ſciam) Quimquius certam veritatem attigit, mare mortuum hic flumen campeſtrium dici exiſtimans, ex collatione

collatione huius loci cum illis verbis,2.Reg.14.25. hîc reſtituit terminum Iſraelis ab aditu Chamathæ vſq; ad mare campeſtriũ. Quod enim ibi,& Deu.3.17 ים הערבה mare campeſtrium dicitur,hîc נחל הערבה vocatur, id eſt, flumen campeſtrium. Poteſtne igitur, inquit aliquis, flumen vocari mare? Certè ab Hebræis ſtagna & maiora fluenta etiam maria appellantur. Lacus Geneſareth Luc.5.1. mare Kinereth Numerorum 34.11. nominatur. Hæc ipſa aqua, quæ mare mortuum, & in ſcriptura mare ſalis ſæpe dicitur & aliquando mare campeſtrium, lacus Aſphaltites à prophanis ſcriptoribus vocari ſolet: Lacus etiam Paleſtinæ,& Sodomæus dicitur à Galeno libro 4.de ſimplicium medicamentorum facultatibus, cap. 20. Quocirca nemini mirum videri debet, hîc fluentum appellari,quamuis alibi mare dicatur.Quàm rectè autem huic loco congruat iſta interpretatio, ex eo perſpiciatur, quòd eadem inter Chamatham ad ſeptentrionem, & mare mortuum ad meridiem orientales angulos oppoſitio ſit, 2.Reg.14.25. & idem terræ promiſſæ auſtralis ad orientem terminus alijs in locis ſtatuatur,Numerorum 34.3. & Ioſuæ 15.2.

Caput 7.

SIc oſtendit mihi dominus Iehoua: Et ecce formabat locuſtas cùm primùm ſuccreuit cordum fœnum: & ecce cordum fœnum [erat] poſt fœniſecia regis.

2 Fuit autem cum abſoluiſſet comedere herbam terræ,vt dicerem,Domine Iehoua,condona,obſecro, quomodo conſiſtet Iacobus? nam paruus eſt.

3 Pœnituit Iehouam huius rei, Non erit, dixit Iehoua.

4 Sic oſtendit mihi dominus Iehoua,& ecce vocabat

cabat ad disceptandum per ignem dominus Iehoua: qui consumpsit ‖ abyssum magnam, consumpsit q3 ‖ portionem illam.

5 Et dixi, Domine Iehoua, desiste obsecro, quî consistet Iacobus? paruus enim est.

6 Pœnituit Iehouam huius rei, Ne hoc quidem futurum est, dixit dominus Iehoua.

7 Sic ostendit mihi, & ecce dominus stabat super murum ad libellam structum, ‖ in manu autem eius libella [erat.]

8 Dixit q3 Iehoua mihi, Quid vides Amos? & dixi, libellam. Tum dominus dicebat, Ecce ego positurus sum libellam in medio populi mei Israelis, non pergam amplius ‖ præterire ipsi.

9 Et desolabuntur excelsa ‖ Isaaci, & sanctuaria Israelis vastabuntur, & insurgam contra domum Ieroboami gladio.

10 Tum misit Amasias, sacerdos Bethelis, ad Ieroboamum regem Israelis, dicendo, Coniurauit contra te Amos ‖ in medio domus Israelis, non poterit hæc terra sustinere omnia verba eius.

11 Nam sic ait Amos, Gladio morietur Ieroboamus, Israel autem omnino migrabit è terra sua.

12 Dixit verò Amasias Amoso, Videns, abi, aufuge tibi in terram Iudæ, & ‖ comede ibi panem, ibiq3 prophetato.

13 Bethele verò ne amplius pergito prophetare, nam sanctuarium regis est, & domus regni est.

14 Respondens autem Amos dixit Amasiæ, Neque propheta ego, neque ‖ filius prophetæ eram, sed

ſed bubulcus eram,& collector ‖ Sycomororum.

15 Et accepit me Iehoua ‖ à grege ſequendo, & dixit mihi Iehoua, Ito, prophetato populo meo Iſraeli.

16 Nunc igitur audi verbum Iehoua. Tu dicis, ne prophetaueris Iſraeli, neq; ſtillaueris contra domum Iſaaci.

17 ‖ Idcirco ſic ait Iehoua, Vxor tua in vrbe ‖ ſcortabitur, & filij tui filiæq; tuæ gladio cadent, & terra tua funiculo diuidetur: Tu verò in ‖ terra immunda morieris, Iſraélq; omnino migrabit à terra ſua.

ANNOTATIO.

2 *Quomodo conſiſtet.*] מִי aliquando ponitur pro מָה Iud.13.17. מִי שְׁמֶךָ quod eſt nomen tuum? מָה verò interdum ſignificat quomodo, vt ſuo loco, ſi Deus voluerit, declarabitur. Itaque nihil impedit quo minùs מִי etiam in ea ſignificatione hîc capiatur. Quimquio, Caluino, Mercero hæc interpretatio probatur.

4 *Vocauit ad diſceptandum per ignem.*] Subaudi miniſtros ſuos. Metaphora à re forenſi: Deus enim cùm aduerſatur populo ſuo vindicta & ſupplicio, quaſi aduerſarius cauſam ſuam agere videtur. Eſa.66.16. Iehoua igne diſceptaturus eſt, & gladio contra omnem carnem. Eſech 38.22. diſceptabo cum illo peſte & ſanguine.

Abyſſum magnam.] Sic Eſa.51.10. exiccauit mare, aquas abyſſi magnæ. Hijs verbis amplificat ignis illius vim. Ignem verò per tranſlationem vocari puto immodicum ardorem, & torrefacientem æſtum, vt Ioel 1.19. ignis conſumpſit paſcua deſerti, &c. vide in eum locum annotationem.

Portionem illam.] Vel agrum illum: regium ſcilicet, cuius mentio fit verſu 1. vt Quimquius interpretatur veriſimiliter, propter articulum præfixum, qui ad rem certam,

notam,& antè memoratam ſolet referri.

7 *In manu eius libella erat.*] Vt accurata menſuratione demoliretur, atq; vt loquitur Tremellius, regni deſtructionem ad libellam exigeret. Sic Lament. 2. 8. Deus cogitans muros Sionis corrumpere, extendit lineam vel regulam. vide 2.Reg.21.13.

8 *Præterire ipſi.*] Id eſt,ignoſcere,condonare.Metaphora ab hominibus,ea quæ negligunt & leuia ducunt præterеuntibus,quaſi non ſatis digna quæ ad rationem & calculum reuocentur. Terent.in Adelphis. *Do,prætermitto, non neceſſe habeo omnia pro meo iure agere.* Hinc cum verbo cõdonandi iungitur Mich. 7. 18. condonans iniquitatem & præteriens defectionem.

9 *Iſaaci.*] Tam Idumæi quàm Iſraelitæ ex Iſaaco originem traxerunt. Veruntamen per ſynecdochen hîc ſoli Iſraelitæ hoc nomine intelliguntur,& verſu 16.neque ſtillaueris contra domum Iſaaci. Eodem modo Iſraelis nomen quod vniuerſis duodecim tribubus commune erat,aliquando decem ſolis,aliquando duabus tribuitur,vt cum Ioſaphat rex Iſraelis dicitur,2.par.21.2. Erat enim Iudæorum rex,ſub quibus etiam Biniamitæ continebantur. Hac ratione Heber pro Iſraelitis dicitur Numeri 24. 24. & pro Ephraimo Ioſephus,Apoc.7.8.

10 *In medio domus Iſraelis.*]Hoc eſt,palã,vt Pro.5.14.Ferme verſor in omni malo,in medio cætus & cõgregationis.

12 *Comede panem.*] Ibi viuito,ibi vitam degito.

14 *Filius prophetæ.*] Diſcipulus à propheta aliquo inſtitutus & eruditus,vt 2.Reg.2.3. Egreſſi filij prophetarum qui agebant Bethele.

Sycomororum.] Sycomoris terram Iſraelis abundaſſe,ex 1.Reg.10.27. & Eſa.9.10. liquet. Quod igitur de Sycomoris à ſe collectis,& ouibus paſtis dicit,eo ſignificat ſe ruſticum & agreſtem hominem condicione fuiſſe, propheticæ inſtitutionis expertem, & rudem omnis literaturæ.Ita vocationi ſuæ fidem facit à priore condicione, & diſſimili vitæ ſuæ genere antequam vocatus eſſet, vt Paulus Act. 22.3.& 26.9.

15 *A sequendo grege.*] A post gregem, ad verbum. Sic 2. Samuelis 7. 8. assumpsi te à caula, à grege sequendo. Pastores enim gregem sequuntur. Hinc Senecæ pastor in Oedipode.

Illo sequebar monte cornigeros greges.

17 *Propterea.*] In communi pœna ostendit quam partem accepturus sit Amasia. Qualis legitur denunciatio, Ierem. 20. 3, 6. versibus.

Scortabitur.] Hoc est, per vim stuprabitur. Theodoretus ita exposuit. Scito, inquit, vxorem quam nunc habes, te visurum publicè & palam ab hostibus per vim stupratam. Caluinus etiam violentum stuprum ab hostibus palam illatum, non voluntariam scortationem intelligit. Est igitur in hoc verbo κατάχρησις. A victore milite, vis mulieribus inferri solet. Hoc tam sacræ quàm prophanæ literæ testantur. Esa. 13. 16. paruuli illidentur, diripientur domus, fœminæ vitiabuntur. Hinc illa querela Ieremiæ, Lament. 5. 11. mulieres Sione stuprant, & virgines in vrbibus Iudææ. C. Cæsar apud Salustium in coniuratione Catilinæ, Plerìq; quæ belli sæuitia esset, quæ victis acciderent, enumerauere: rapi virgines, pueros, diuelli liberos à cõplexu parentum, matres familiarum pati quæ victoribus collibuissent. Port. Latro in sua in Catilinam declamatione, Coniuges è complexibus nostris ad libidinem victorum raptæ fuissent: De earum pudicitia hodierna vestra sententia agitur.

In terra immunda.] Hoc est, prophana, nempe Assyria.

Caput 8.

SIc ostendit mihi Dominus Iehoua, & ecce ‖ canistrum fructuum æstiuorum.

2 Dixitq;, Quid vides Amos? Et dixi, canistrum æstiuorum fructuũ. Tum dixit mihi Iehoua, Aduenit finis populo meo Israeli,

non pergam ampliùs præterire ipſi.

3 Et ‖ eiulabunt cantica templi die illa, dicit Dominus Iehoua: ‖plurimum cadauerum in omni loco proijciet, ‖ſile.

4 Audite hoc qui ‖ inhiatis egenum, & delere pauperes terræ.

5 Dicendo, ‖ quando tranſiuerit ‖ nouilunium vt vendamus commeatum? & ſabbathum vt ‖ aperiamus frumentum? vt ‖minuamus Epham, ac augeamus pondus, & ‖peruertamus lances doloſas.

6 ‖ Vt emamus pecunia tenues, & egenum pari calceorum, & ‖ quiſquilias frumenti vendamus.

7 Iurauit Deus ‖per gloriam Iacobi, [ne viuam,] ſi omnia eorum opera obliuiſcar in æternum.

8 An propter hoc non commouebitur terra, & lugebit quicunque in ea habitat? & ‖aſcendet quaſi riuus tota ipſa, & ‖propelletur & ſubmergetur vt riuo Ægypti.

9 Et erit die illo dicit Dominus Iehoua, efficiam vt Sol occidat ipſo meridie, & obtenebrabo terram die lucido.

10 Et commutabo dies feſtos veſtros in luctum, omniáq; cantica veſtra in lamentationem, & inducam ſuper omnes lumbos ſaccum, & ſuper omne caput caluitium, ponámq; eam tanquam luctum vnigeniti, & ‖ exitus eius erit quaſi dies amaritudinis.

11 Ecce dies venturi ſunt, dicit Dominus Iehoua, quibus immittam famem in hanc terram, non famem panis, nec ſitim aquarum, ſed audiendi verba Iehoua.

12 Et

12 Et vagabuntur ‖ à mari ad mare, & ab aquilone vsque ad meridiem discurrent, ad peruestigandum verbum Iehouæ, sed non inuenient.

13 Die illo deficient animo virgines pulchræ, & iuuenes siti.

14 Qui iurant per reatum Samariæ, & dicunt, Viuit Deus tuus ô Dan, & ‖ viuit via Beersheba, & cadent, neque resurgent amplius.

ANNOTATIO.

2 *Canistrum fructuum æstiuorum.*] Hac similitudine pœnæ tempus fuisse maturum significat, & finem, id est, vltimam vindictam instare, vt æstas anni finis est, & tempus maturitatis fructuum.

3 *Eiulabunt.*] In eiulatum, lamentationem, & luctum vertentur, vt infrà versu 10. huius capitis loquitur.

Plurimum cadauerum in omni loco proïciet.] Id est, proijcientur, ex huius linguæ proprietate.

Sile.] Id est, patienter acquiesce iudicio tam potentis Dei, vt cap. 6. 10. vide Zach. 2. vltimo versu.

4 *Inhiatis egenum.*] Magno egenorum seruitutis desiderio tenemini suis facultatibus spoliatorum. Sic enim versu 6. dicit, ad emendum pecunia tenues, שׁאף verò in illa, inhiandi siue desiderandi significatione cum accusatiuo sæpe construitur. Iob 7. 2. vt seruus vmbrã ישׁאף, inhiat vel desiderat. Eorum inhumanitatem hîc arguit.

5 *Quando transibit?*] Optantis est, vt illud Psal. 42. 3. Quando veniam & coram Iehoua apparebo? Horatij item illud in satyris.

O rus, quando ego te aspiciam? quandoq; licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno, & inertibus horis,
Ducere sollicitæ iucunda oblivia vitæ?

Auaritia hîc eorum ostenditur.

Nouilunium vt vendamus, &c.] Dies sacer erat primus

non pergam ampliùs præterire ipſi.

3 Et ‖ eiulabunt cantica templi die illa, dicit Dominus Iehoua: ‖plurimum cadauerum in omni loco proijciet, ‖ſile.

4 Audite hoc qui ‖ inhiatis egenum, & delere pauperes terræ.

5 Dicendo, ‖ quando tranſiuerit ‖ nouilunium vt vendamus commeatum? & ſabbathum vt ‖ aperiamus frumentum? vt ‖minuamus Epham, ac augeamus pondus, & ‖peruertamus lances doloſas.

6 ‖ Vt emamus pecunia tenues, & egenum pari calceorum, & ‖ quiſquilias frumenti vendamus.

7 Iurauit Deus ‖per gloriam Iacobi, [ne viuam,] ſi omnia eorum opera obliuiſcar in æternum.

8 An propter hoc non commouebitur terra, & lugebit quicunque in ea habitat? & ‖aſcendet quaſi riuus tota ipſa, & ‖propelletur & ſubmergetur vt riuo Ægypti.

9 Et erit die illo dicit Dominus Iehoua, efficiam vt Sol occidat ipſo meridie, & obtenebrabo terram die lucido.

10 Et commutabo dies feſtos veſtros in luctum, omniáq; cantica veſtra in lamentationem, & inducam ſuper omnes lumbos ſaccum, & ſuper omne caput caluitium, ponámq; eam tanquam luctum vnigeniti, & ‖ exitus eius erit quaſi dies amaritudinis.

11 Ecce dies venturi ſunt, dicit Dominus Iehoua, quibus immittam famem in hanc terram, non famem panis, nec ſitim aquarum, ſed audiendi verba Iehoua.

12 Et

12 Et vagabuntur ‖ à mari ad mare, & ab aquilone vsque ad meridiem discurrent, ad perquirendum verbum Iehouæ, sed non inuenient.

13 Die illo deficient animo virgines pulchræ, & iuuenes siti.

14 Qui iurant per reatum Samariæ, & dicunt, Viuit Deus tuus ô Dan, & ‖ viuit via Beersheba, & cadent, neque resurgent amplius.

ANNOTATIO.

2 *Canistrum fructuum æstiuorum.*] Hac similitudine pœnæ tempus fuisse maturum significat, & finem, id est, vltimam vindictam instare, vt æstas anni finis est, & tempus maturitatis fructuum.

3 *Eiulabunt.*] In eiulatum, lamentationem, & luctum vertentur, vt infrà versu 10. huius capitis loquitur.

Plurimum cadauerum in omni loco proïciet.] Id est, proijcientur, ex huius linguæ proprietate.

Sile.] Id est, patienter acquiesce iudicio tam potentis Dei, vt cap.6.10. vide Zach.2.vltimo versu.

4 *Inhiatis egenum.*] Magno egenorum seruitutis desiderio tenemini suis facultatibus spoliatorum. Sic enim versu 6. dicit, ad emendum pecunia tenues, שׁיאף verò in illa inhiandi siue desiderandi significatione cum accusatiuo sæpe construitur. Iob 7.2. vt seruus vmbrã רשׁיאף, inhiat vel desiderat. Eorum inhumanitatem hîc arguit.

5 *Quando transibit?*] Optantis est, vt illud Psal.42.3. Quando veniam & coram Iehoua apparebo? Horatij item illud in satyris.

O rus, quando ego te aspiciam? quandoq; licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno, & inertibus horis,
Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ?

Auaritia hîc eorum ostenditur.

Nouilunium vt vendamus, &c.] Dies sacer erat primus

menſis,vt primus hebdomadæ qui ſabbathum dicitur.Hoc Tremellij annotatio non paucis teſtimonijs probat. Feſtis verò diebus & ferijs ſacris, vendendo aut emendo mercaturam exercere nefas erat. Nehem. 10.32. Ambulabimus in lege Dei, à populis regionis merces & annonam afferentibus non ememus ſabbatho aut die ſacro. vide caput 13. eiuſdem libri,à verſu 15.vſque ad 22. Hoc igitur iſtis auaris moleſtum erat,dies feſtiuos ſuo quæſtui obſtare, ſuúmq; lucellum Dei cultui cedere indignè ferebant.

Aperiamus frumentum.] Hoc eſt,frumenti repoſitoria,ad vendendum.Metonymia. Cellæ enim frumẽtariæ ad vendendum,non ipſum frumentum propriè aperiri dicuntur. Gen.41.56. Ioſeph omnia in quibus frumentum erat horrea aperuit,& vendidit AEgyptijs.

Vt minuamus Epham ac augeamus pondus.] Id eſt,menſura minuta,quam Micheas cap.6. macilentam vocat, vendamus, accipiamus verò ponderibus maioribus iuſto. Contra legem Dei id ab illis factum. Deut.25.13,14. Ne ſit tibi diuerſum pondus,magnum & paruum: ſed vtrúmq; iuſtum & integrum eſto.Hîc eorum fraudem accuſat.

Quod hîc dicitur,Augeamus pondus, Arias Montanus in ſuis ad hunc locum commentarijs rectè declarat.Olim, inquit, appenſi potiùs quàm numerati argenti vſus erat. Vnde & antiquiſſimo Hebræorum, Chaldæorum, & Cananæorum nummo nomen ſicli factum eſt, quod Latinè redditum pondus ſignificat. Aderat autem ijs qui vendebant aurificum ſtatera, qua recipiendum probaretur argentum.Gen.23. Abraham appendit pecuniam quam Ephron poſtulauerat. Qua in re duplex eſſe potuit fraus: vt ſtateræ & lances inæquales eſſent,& pondus ipſum auctius iuſto. Neque verò ſemper argento ſignato vtebantur, cum ſatis eſſet rude & incuſum ſi modò ſuo pondere redderetur.Hodie etiam Barbari,maximè autem Afri,argentũ expenſum à noſtris mercatoribus pro captiuis redimẽdis exigunt.Aucto igitur pondere pauperes defraudantur.

Peruertendo lances doloſas.] Id eſt,integras, vt doloſæ fierent.Meton. vt Iobi 22.6. nudos veſtibus ſpolias, hoc eſt, veſtitos

vestitos & tectos,vt nudi essent.

6 *Vt emamus.*] Premente rerum penuria, se in seruos vendere homines solebant. Leuit.25.39. Cùm attenuatus frater tuus se tibi vendiderit, ne exerceto eum seruitute seruili. Hi igitur quæstuosi primùm oppressione & dolo fratrum suorum facultates ad se traxerunt, vt illis exhaustis,se ipsos tandem in seruitutem tradere cogerentur.Fame ac siti pressos homines, vt necessitati subueniatur, aquæ sextarium mina emere, & immanes iacturas facere, ex Aristotele docet Cicero 2.lib.officiorum. Cùm igitur omnibus suis rebus absumptis eò adducuntur, vt nulla alia ratione queant, vel ipsa seruitute sua se à tantis malis liberare non dubitant.

Quisquilias] Aliud genus fraudis in ipsa merce. מפל propriè deciduũ dicitur: Hîc purgamenta frumenti, de eo dum cribro purgatur decidentia notat,à נפל cecidit. Sic Latinè quisquiliæ dicuntur, quasi quicquid cadit, interprete Festo.

7 *Per gloriam Iacobi.*] Hoc est,seipsum, vt antè loquutus est,cap.6.8. Iurauit Iehoua per seipsum. Deus enim Israelitarum gloria Metonymicè dicitur,quia ab eo amplissimã gloriandi materiã habuerunt.Mercerus, Aben Ezra, Quimquius ita intelligunt.Ita illud accipio,Oseæ 5.5. Testabitur gloria Israelis in faciem ipsius.vide ibi annotata.

8 *Et ascendet quasi riuus tota ipsa.*] Subaudi terra. Meton.Quod enim adiuncto, id est, aquæ propriè conuenit, hîc subiecto,nimirum terræ tribuitur: Cuiusmodi exempla quædam suprà à me allata sunt ad versum 3. capitis 5. Hoc igitur dicit, aquas ascensuras, & totam terram inundaturas: ídq; similitudine Niliacæ exundationis illustrat. De qua Cicero 2. de natura Deorum, AEgyptum Nilus, inquit,irrigat,& cum tota æstate obrutam oppletámq; tenuerit,tum recedit.Ascendente Nilo totam AEgyptum operiri,& quasi pelagus stagnare, scribit Strabo lib. 17. Ἐν ᾗ ἀναβάσει τῶ νείλω καλύπτει πᾶσα καὶ πελαγίζει πολλῶ τῆς οἰκήσεως. Hoc ergo est quod hîc AEgyptus Nilo mergi dicitur.

Et propelletur.] Nullam aliam hîc propulsionem proba-

biliorem video, quàm quæ à scholiaste Iarchio intelligitur,luti & limi : qualem ab aquis vndantibus fieri docet ex Esa.57.versu penult.Improbi erunt vt mare propulsum, cuius aquæ cænum & limum propellunt. Cicero enim 2. de natura Deorum dicit, Nilo agros oblimari. Et Seneca eum affirmat illato limo,arenas saturare ac inungere,lib. 4. naturalium quæstionum. Dionysius Alexandrinus de situ orbis,nullum fluuium cum Nilo proiectione limi conferendum esse autumat hijs verbis.

Οὐ γὰρ τὶς ποταμὸς ἐναλίγκιος ἔπλετο εἶλαρ,
Οὐτὶ ἰλὺν βαλέειν, ἔτε χθονὸς ὄλκον ἀέξειν.

Propelletur igitur terra,hoc est,ni fallor,Limus ex ea ab inundantibus aquis excitatus, more AEgyptij fluuij propelletur: Synecdoche. Iam verò terræmotus, inundationes,tenebræ, Dei in hominum peccata animaduertentis effecta sunt,& iræ ipsius signa, Psal.18.8,12.versibus. Itaq; hîc tempus luctuosum vindictæ significant,vt Math.24. & Lucæ 21. Terræmotus erunt in singulis locis, Sol obscurabitur,nec dabit Luna splendorem suum,resonabit etiam mare ac salum, exanimatis hominibus præ timore. Vide Ioel 2.10.

10 *Exitus eius erit quasi dies amaritudinis.*]Ad extremum eueniet ei luctus grauis,qui per metaph.ab Hebræis amaritudo dicitur : vt etiam à Latinis eodem tropo amarus vocatur.Ouid.met.14.

Admonitu quanquam luctus renouentur amari.

Hinc מרר in coniugatione hiphil amarè lugere significat,Zachar.12.10. Itaq; dies amaritudinis hîc nihil aliud est, quàm dies amari luctus. Quo modo Tibullus libro 2. triste acerbi doloris tempus,diem amaram vocat.

O ego ne posſem tales sentire dolores,
Quàm mallem in gelidis montibus esse lapis!
Nunc & amara dies,& noctis amarior vmbra est:
Omnia iam tristi tempora felle madent.

11 *Sitim.*] Sitis summum desiderium per translationem ostendit ex inopia & defectu natum.Psal.42.3. Sitit anima mea Deum. Claudianus.

Tum

Tum patriæ festo lætatus tempore vates,
Desuetæ repetit fila canora lyræ.
Porrexit Rhodope sitientes carmina rupes.

12 *A mari ad mare.*] A mari mortuo ad mediterraneum, vel vt scriptura loquitur, à mari orientali ad mare posterum. Hijs enim nominibus opponũtur hæc duo maria, Ioel 2.20. Zach. 14.8. Atque interdum absolutè absq; illis epithetis adiunctis, Psal. 72.8. dominabitur à mari ad mare. Sensus est, eos vniuersam illam terram per omnes eius terminos circumituros ad quærendum verbum Dei. Primum à mari mortuo profectos, perambulaturos totum meridianum tractum vsque ad mare mediterraneum in occidente: Deinde illa occidentali plaga emensa, ad aquilonalem venturos, ac per eam tandem in orientalem progressuros. Hoc enim ordine procedit descriptio terræ promissæ, Numerorum 34. ab extremitate maris salsi quod mortuum vocatur per plagam australem, ad mare mediterraneum, inde ad aquilonem, & tandem ad orientem.

14 *Viuit via Beersheba.*] Septuaginta interpretes (vt ex eorum versione coniecturam facio) pro דרך via, legerunt צרך vnius literæ mutatione. Sic enim interpretantur, ὁ Θεὸς σου. Quæ vera est dictionis צרך interpretatio. צור enim propriè rupem, & per metaphoram Deum designat, támq; de idolis quàm vero Deo vsurpatur, Deut. 32.31. צורם rupes eorum non est vt rupes nostra: hoc est, Deus eorum similis Deo nostro. 1. Sam. 2.2. non est rupes vt Deus noster: Hoc est, non est Deus, &c. Nam alijs quoq; in locis 70. interpretes hanc vocem צור ita reddunt, per eandem vocem Θεὸς, quæ hîc in eorum translatione reperitur. vide eos Deut. 32.18, 30, 31. Ita me Deus amet, verisimillimam ego hanc eorum lectionem iudico: Quia & procliuis in vnius literæ mutatione lapsus esse potuit, & voci præcedenti אלהיך Deus tuus aptiùs respondet, cum qua etiã aliâs similiter in eadem notione iungitur. Deut. 32.37. אי אלהימו צור חסיו בו. vbi est Deus eorum? rupes in qua fiduciam posuerunt. Tremellius nomen אלהים repetens parum dissidet:

sidet: viuit Deus viæ Beersheba hi. Enumeratur hoc oppidum Ios. 15. inter vrbes Iudaicas, at ibi cap. 19. tribui Simeonis tribuitur. Superstitioni verò & idololatriæ deditum fuisse, non solùm ex hoc loco, sed etiam eo quod cap. 5. vers. 5. præcessit interdicto patet, Bethelem ne quæratis, ne adeatis Gilgalem, & Beersheba m ne transeatis. Hic versus probat nullam illius regni partem ab ista impietate liberam fuisse. Dan enim in vna erat extremitate ad septentrionem: Beersheba in altera ad meridiem: In medio erat Samaria, aliæq; idolorum cultrices vrbes à Samaritanis frequentatæ.

Caput 9.

VIdi Dominum stantem super altari, & dixit, Percute superliminare, vt commoueantur postes: & ‖ sauciabit eos ‖ in capite ipsorum omnium, posteritatem verò eorum gladio ‖ interficiam, non effugiet ex eis fugiens, neque euadet ex eis profugus.

2 ‖ Si foderint in inferno inde manus mea capiet eos, & si in cælum ascenderint, illinc deducam eos.

3 Et si abdiderint se ‖ in vertice Carmeli, inde scrutatus eos capiam, & si occultauerint se ab oculis meis in fundo maris, inde præcipiã serpenti vt mordeat eos.

4 Si verò abierint in captiuitatem ‖ coram inimicis suis, inde præcipiam gladio vt occîdat eos: & ponam oculum meum contra eos in malum, non autem in bonum.

5 Nam ‖ dominus Iehoua exercituum est, ‖ quo terram tangente liquefit, & lugent quicunque habi-

tant

tant in ea, & ascendit quasi riuus tota ipsa, & submergetur vt Ægypti riuo.

6 ‖ Qui extruxit in cælis cœnacula sua, & cuneum suum super terram fundauit: qui aduocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Iehoua nomen eius.

7 Nonne vt ‖ filij Æthiopum mihi estis, ô filij Israelis, dicit Iehoua? Nonne Israelitas eduxi ex terra Ægypti, & Philisteos è Caphtore, & ‖ Syros è Kiro?

8 Ecce oculi domini in regnum peccans, & perdam ipsum à superficie terræ, nisi quòd ‖ non omnino perdam domum Iacobi, dicit Iehoua.

9 Ecce enim ego præcipiam & ‖ agitabo inter omnes gentes domum Israelis, vt agitatur cribro, neque decidet lapillus in terram.

10 Gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt, non accedet, aut anteuertet in nos malum.

11 Tempore illo erigam ‖ tabernaculum Dauidis quod decidit: & sepiam rupturas eorum, & demolitiones eius erigam, & reedificabo illud sicut olim.

12 Vt hæreditariò ‖ possideant reliquias Idumeorum, & omnes gentes quæ ‖ de nomine meo vocantur, dicit Iehoua qui facit istud.

13 Ecce dies veniunt, dicit Iehoua [quibus] ‖ attinget arator messorem, & calcator vuarum ‖ satorem, & stillabunt montes mustum, & omnes colles ‖ colliquescent.

14 Et

14 Et reducam captiuitatem populi mei Israelis, & ædificabunt ciuitates desolatas, vt inhabitent, & conserant vineas, vt bibant vinum earum, faciéntq; hortos, vt comedant fructum eorum.

15 Et plantabo eos in terra ipsorum, neque euellentur amplius à terra sua quam dederim eis, dicit Iehoua Deus tuus.

ANNOTATIO.

1 *Et sauciabit eos.*] Id est, sauciabuntur omnes. Hebraismus, quo verbum tertiæ personæ impersonaliter vel passiuè sumitur, cum suppositum ad quod referatur, reticetur.

In capite.] Hoc est, grauiter, lethaliter, vt Psalmo 68.22. Deus vulnerabit caput inimicorum suorum. Genes. 3. 15. ipsum tibi caput, tu ei calcaneum conteres.

Interficiam.] Enallage siue anomalia personæ. Antè enim de ministro loquutus est in 3. persona, sauciabit: hîc de seipso authore in prima. Similis est in eiusmodi sententia personæ mutatio, Esa. 22. 19. depellam te de loco tuo, & deturbabit te de statione tua.

2 *Si foderint.*] Vt se illic abdant. Verbum enim fodiendi hîc accuratam occultationem notat, vt sequentia verba eiusdem notionis versu proximo arguunt. Solent enim homines, quæ studiosè tegunt, effossa terra obruere. Math. 25. 18. abiens in terra defodit & abscondit pecuniam domini sui. Hinc latini quæ ita obruuntur defodi dicunt, Plautus in Aulularia. *Domi aulam defossam cum multis opibus inuenit.* Neque altitudinem cæli vel montium, neque profunditatem orci, vel maris, nec vllā quantumuis magnam dissitarum regionum distantiam homines à conspectu Dei protegere posse declarat. vide Psalm. 139. 8. Ieremiæ 23. 24. Iobi 26. 6.

3 *In vertice Carmeli.*] In montibus enim & rupibus altis, speluncis sibi factis homines se occultauisse docemur, Iud. 6. 2. & 1. Samuelis 13. 6.

4 *Coram*

4 *Coram inimicis.*] Ea victorum consuetudo erat, victos ante se captiuos ducere. Hinc Lament.1.5. In captiuitatem abierunt coram hoste.

5 *Dominus enim.*] Probat quod antecedentibus versibus dixerat, homines nullibi vindictam Dei effugere posse, ab ipsius mira potentia. Cuius enim vel tactu solo terra dissoluitur, quíq; cùm ei libitum fuerit, eam aquis vndantibus obruit, &c. quomodo is inimicis suis quocunq; in loco perdendis par non erit?

Quo terram tangente liquescit.] Hoc est, ad cuius tactum & percussionem habitatores terræ colliquescunt. Meton. vt Psal. 46. 7. Deo vocem suam edente, liquefit terra. Liquefieri verò dicuntur metu fracti & debilitati, per metaph. Ios. 2. 9, 24. liquescũt habitatores terræ metu נמוגו 2. Samuel. 17. 10. cuius animus est vt animus leonis, liquefiet.

6 *Qui extruxit in cælo cœnacula sua.*] מעלותיו hîc cœnacula interpretor, ab ascensu ita dicta: vt simili ratione עליות ab eadem radice sæpe vocantur, quia loca sunt in æditiori ædium parte, ad quæ scalis vel cochleis ascenditur. Caluinus & Tremellius idem iudicauerunt: Quorum sententiam veram esse, mihi persuasit similium locorum collocatio, Ierem. 22. 14. vbi eadem phrasis reperitur: extruam mihi domum amplam & cœnacula spacioſa, & Psal. 104. 3. vbi Deus in aquis contignare cœnacula sua eodem sensu dicitur, quo hîc ea in cælis extruere. Videtur metaphora à regibus sumpta, qui (vt ex illo Ieremiæ liquet) ad magnificentiam, ampla & spacioſa cœnacula sibi in superiore domus parte ædificabant. Sic enim Deus, qui rex regum est, sua quoque in altioribus mundi locis, nempe cœlesti palatio suo, quasi cœnacula extructa habere videtur. Vnde illud est, Psal. 104. 13. Deum montes è cœnaculis suis rigare. Ennius apud Tertullianum eadem translatione vtitur eo libro quem contra Valentinianos scripsit. Primus, inquit, omnium Ennius poeta Romanus cœnacula maxima cæli simpliciter pronunciauit, elati situs nomine, vel quia Iouem illic epulantem

lantem apud Homerum legerat.

Cuneum ſuum.] Vel globum ſuum, vel turmam. Ita accipitur Hebræa vox (vt hîc à Tremellio obſeruatum eſt) 2. Sam. 2. 25. Biniamitæ ſe congregantes poſt Abnerum, fuerunt in cuneum vel globum vnum, id eſt, confertam turbam, in vnum militum collectam turmam, & quaſi conglobatam multitudinem. Hîc verò, vt mihi videtur, terreſtrium creaturarum multitudinem deſignat, quæ ad eundem modum exercitus appellantur, Gen. 2. 1. Perfecti ſunt cœli & terra omníſq; eorum exercitus. Videtur in cœpta à regibus metaphora perſiſtere: Qui vt ampla palatia & cœnacula habent, ita ſuis miniſtris & militibus ſtipari ſolent. Similiter Deo ſuum in cœlo palatium in cœnacula diſtinctum eſt, ſuíq; etiam milites & ſatellites ei more regio ſunt, ad voluntatem eius exequendam parati. Pſa. 103. 21. Benedicite Iehouæ omnes exercitus eius, miniſtri eius facientes placitum eius. Ioel 2. 10. Iehoua edit vocem ante exercitum ſuum, quia ampla admodum ſunt caſtra eius, & robuſtus qui verbum eius efficit. De locuſtarum caterua id à propheta dicitur. Iarchius & Tremellius cum Aben Ezra ita ferè intellexerunt. Sed illi generaliùs omnium rerum creatarum turmas, hic tantùm animalium.

7 *Vt filij AEthiopum.*] Id eſt, AEthiopes, vt ab Homero ſæpe Achæi vocantur υἱες ἀχαιῶν Achæorum filij.

Syros è Kiro.] Kir regio erat Aſſyrio regi ſubiecta, cuius mentio fit, Eſa. 22. 6. Eò Syros ab Aſſyriorum rege Tiglath-Pileſero abductos fuiſſe, vt ab hoc propheta, cap. 1. 5. prædictum erat docemur, 2. Reg. 16. 9. Vt igitur Syri in Kirum deportati fuerunt: ita probabile eſt regem Aſſyriæ contrà è Kiro ductos ſecum ad illud bellum populos in illorum vrbibus collocaſſe, vel inde in Syriam colonias poſtea traduxiſſe, quæ finibus commutatis ſedes Syrorum iam pulſorum occuparent, quemadmodum Iſraelitis in Babyloniam, Meſopotamiam, Mediam tranſlatis, noui ex illis locis coloni ſucceſſerunt, 2. Reg. 17. 24. & Ezræ 4. 9. Syros igitur hîc prophetam dicere Kirenſes illos exiſtimo,

qui

qui iam in Syria, veteribus incolis expulsis habitauerũt. Ita verũ est quod propheta narrat Syros è Kiro venisse. An Dauidis Quimquij pater idem senserit, pro certo mihi compertum non est: verùm in hæc verba sic scribit. Ex Kiro, inquit, venit Tiglath-Pileser qui eos illuc deportauit, vt dicitur 2.Reg.16.9. Vt contra Philisteos è Caphtore, ita contra Syros similiter è Kiro vastator venit. Hæc nostra interpretatio si vera est, necessariò sequitur Amosum ad tempora Achazi prophetationem suam continuauisse, quo regnante, illa Syrorum captiuitas contigit. Idem etiam efficitur ex ipsius Tremellij expositione, qui etsi aliter interpretatur, affirmat tamen Syros iam antè in Kirum deportatos fuisse cùm hæc concio à propheta haberetur. Quod, nisi Amosus Achazi tempore suo munere functus fuerit, fieri non potuit.

8 *Non omnino perdam domum Iacobi.*] Gratiosè reliquias seruabo ab interitu, ne cum cæteris pereant, pios electos conseruabo: at alias nationes improbas prorsus delebo. Sic Iere.30.11. Faciam consummationem in gentibus: In te verò consummationem non sum facturus, sed castigabo te modicè, at mundando non mundabo, id est, te prorsus impunem non relinquam.

9 *Agitabo.*] Præcedentem illam promissionem de pijs seruandis confirmat similitudine sumpta à tritico cribro purgato. Vt enim cum triticum cribro hinc inde agitatur, acere excreto quod purius est seruatur in solidum, ne minimo quidem grano excusso: Ita Deus se dicit electos huc illuc inter gentes dispersos, varijs exilijs & afflictionibus quasi cribro vexationis agitaturum, vt illis exerciti magis magisq; purgentur, ita tamen vt ne vnus quidem pereat. Quocirca idem hîc dicitur quod alia similitudine. Zach. 13.9. Tertia pars in ea superstes erit, eámq; ego in ignem coniectam conflabo vt argentum, & quasi aurum probabo: Hoc est, eos malis & calamitatibus quasi aurum igne probabo, vt maior in illis puritas, exustis afflictionis fornace scorijs, appareat. Vt illic ignis, ita hîc cribrum afflictioni notandæ seruit. Similíq; ferè ad afflictionem designandam

signandam sententia est, Luc.22.31. Appetijt vos Satanas quos ventilaret sicut triticum.

11 *Tabernaculum.*] Regnum Dauidis in Israelitas hîc tabernaculum dicitur,quòd eo, quasi tentorio ab hostibus tegerentur. Illius verò regni dissipati restitutionem & instaurationem sub Christo fore significat.

12 *Possideant.*] Gentes vnà cum Israelitis in vnum regnum & eundem populum coaptatæ Christo subiectæ erunt,& ab eo hæreditario iure possessæ,Psal.2.8. Postula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam,& possessionem tuam extrema terræ. Quomodo igitur quod Christi vnius erat,id Israelitis hîc tribuitur,vt dicantur hæredes gentium, quæ pari cum illis iure fraterno, & æquali libertate (quod ad regni cœlestis possessionem attinet) & eorundem bonorum in Christo capite cohæredes fuerunt? Ad Ephes.2.14,19.Ratione varia gentes & Christo & Israelitis subigi dicuntur. Christo tanquam capiti & summo regi: Israelitis vt ministris Christi,quorum opera vsus est ad gentes per prædicationem euangelij subiugandas. Apostoli enim gentium doctores,Israelitæ fuerunt, quibus euangelium prædicantibus aliæ nationes se submiserunt, & obtemperauerunt quasi magistris, vt ex eorum doctrina, præceptis, & hortatu,in se iugum Christi libenter reciperent. Ita igitur quod hîc Israelitas gentes possessuros esse dicit, intelligendum videtur de primis gentium præceptoribus, qui eas verbo Dei lucrifecerunt Christo. Sic Esaiæ 14.2 possidebunt Israelitæ populos in seruos,& eos ducent captiuos à quibus in captiuitatem ducebantur.

De nomine meo vocantur.] Super quas nomen meum vocatur, ad verbum: hoc est,populus Dei & filij Dei dicuntur. vide Ose. cap. 1. 10. Hæc verò gentium denominatio,hæreditariam illam possessionem de qua principio versus loquebatur,sequuta est. Tum enim illis hæc appellatio tribui cæpit,cum primùm Christi imperio ac ditioni subditæ fuerunt. Hoc igitur ad eum modum accipiendum est,quo illud Daniel.2.21. Dat sapientiam sapientibus, & scientiam scientibus intelligẽtiæ: hoc est,ijs qui illo dono

Dei

Dei ſapientes facti ſunt, cùm tales antè non extitiſſent: Vulgatus Hebraiſmus.

13 *Attinget.*] Quæuis negotia ad terræ culturam, & frugum perceptionem pertinentia opportunas ſuas tempeſtates habitura oſtendit, ita vt nulla vis cæli prohibitura ſit, quin primùm meſſis tempeſtiua ſit, poſt eam aratio, arationem ſementis, ſementem vindemia ſuo iuſto tempore conſequatur. Iſta verò temporum opportunitas vbertatis indicium eſt. vide Leuit. 26. 6.

Satorem.] Verbum è verbo, trahentem ſemen. Periphraſis ſatoris eſt, qui è caniſtris ſemen extrahit, & tractim proijcit.

Colliqueſcent.] Lacte ſcilicet, vt Ioel 3. 18. montes ſtillabunt muſtum, & colles fluent lacte. Mira hoc ſermonis genere beati temporis rerum optimarum copia affluentis felicitas figuratur, vt etiam à Latinis poetis. Claudianus lib. 1. in Ruffinum.

Subitis meßor gaudebit ariſtis :
Rorabunt querceta fauis, ſtagnantia paſſim
Vina fluent, olei q; lacus.

ABDIAS.

Cap. 1.

Isio Abdiæ. ‖Sic ait Dominus Iehoua de Idumæa, ‖ Rumorem audiuimus à Iehoua, & ‖ legatus ad gentes missus est, [dicens,] Surgite, & insurgamus aduersus eam in prælium.

2 *Ecce, ‖ paruum te reddam inter gentes: contemptus eris valde.*

3 *‖ Superbia animi tui decepit te, qui habitas in ‖ fissuris petræ: alta habitatio eius est: dicit in animo suo, Quis me in terram deiecerit?*

4 *Quamuis ‖ exaltares velut aquila, & quamuis inter stellas poneres nidum tuum: inde deijcerem te, dicit Iehoua.*

5 *‖ An fures te inuaserunt? an ‖ vastatores nocturni? Quomodo excisus es? nonne furarentur quod ipsis satis esset? ‖ Vindemiatoréne inuaserunt te? Nonne relinquerent racemos?*

6 *Quomodo ‖ perueſtigantur Esawitæ? perquirruntur ‖ abdita eius?*

7 *Vsque ad terminum deducent te omnes ‖ fœderati tui, decipient te, prævalebunt tibi qui pacem colunt*

culunt tecum : ‖ comedentes cibum tuum ‖ ponent vulnus ſub te, nulla in eo intelligentia eſt.

8 Nonne die illa, dicit Iehoua, perdam ſapientes ex Idumæa, & ‖ prudentes è monte Eſawi?

9 Terrebuntur verò fortes tui (ô ‖ Teman) vt excindatur quiſque è monte Eſawi ‖ ab occiſione.

10 ‖ Propter iniuriam ‖ fratris tui Iacobi, ‖ teget te pudor, & ‖ excindêris in ſeculum.

11 Quo die ‖ ſtabas ex aduerſo, quo die ‖ abducebant extranei facultates eius, & alienigenæ ingreſſi portas eius, ſuper Ieroſolymam ‖ ſortem proijciebant, etiam tu quaſi ‖ vnus ex illis eras.

12 ‖ Ne ergo aſpicias ‖ diem fratris tui, diem ‖ alieni exitij eius: neque læteris de Iudæis die interitus ipſorum, neque magnifices os tuum die angustiæ.

13 Ne ingrediaris portam populi mei die calamitatis eorum, ne aſpicias etiam tu malum eius die calamitatis ipſius: ‖ Neq; extendant ſe [manus] in facultates eius die calamitatis ipſius.

14 Neque ‖ ſtes ad rupturam ad excindendum ‖ profugos eius, ‖ neque prodas ſuperſtites eius die angustiæ.

15 ‖ Nam propinquus eſt dies Iehouæ, contra omnes gentes: ‖ quemadmodum feciſti fiet tibi, meritum tuum redibit in caput tuum.

16 ‖ Sicut enim bibiſtis in monte ſancto meo, bibent omnes gentes ‖ iugiter, bibent, inquam, & ‖ abſorbebunt, ‖ eruntque ac ſi non fuiſſent.

17 ‖ In monte verò Sionis erit euaſio, erit q; ‖ ſan-

Etus, & hæreditariò possidebunt domus Iacobi possessiones suas.

18 Et ‖ erit domus Iacobi ignis, & domus Iosephi flamma, domus autem Esawi in stipulam, incendéntq; eos & consument eos, neq; erit superstes domui Esawi, quia Iehoua loquutus est.

19 Et ‖ possidebunt pars australis montem Esawi, humilisq; regio Philisteos: & possidebunt agrum Ephraimi, & agrum Samariæ, & ‖ Biniamin Gileadem possidebit.

20 Et deportatæ istæ Israelitarum copiæ, ‖ quod Cananæorum fuit ad Sareptam usq;; deportati verò Ieroſolymæ qui sunt in Sepharade, possidebunt urbes australes.

21 Et ascendent ‖ seruatores in montem Sionis ‖ ad iudicandum montem Esawi, ‖ erítque Iehouæ regnum.

Diuiditur hoc opusculum in duas partes.

- Inscriptionem, quæ hijs verbis continetur: Visio Abdiæ.
- Concionem, inde ad finem.

Inscriptio nos duo docet: Primùm, doctrinæ genus, & prophetiæ modum, nomine visionis, quo intelligitur diuinæ voluntatis de rebus secretis per visionem reuelatio: Solebat enim Deus prophetis hoc modo nonnunquam consilium suum patefacere: qui ob eam causam רואים 1. Samuelis 9.9. & חוזים 2. Paral. 33.18. hoc est, videntes, vocati sunt. Hinc illa apud Esechielem capite septimo concinna distinctio: A propheta visio, à sacerdote lex, à senibus consilium peribit. Præter visionem aliæ quoque

rationes

rationes erant, quibus Deus priſcis vatibus arcana ſua reclusit. Multifariam enim multíſq; modis, vt in ipſo limine epiſtolæ ad Hebræos ſcribitur, Deus olim patribus per prophetas loquutus eſt: Moſem familiariùs facie ad faciem, quomodo quis cum amico ſuo loquitur, alloquutus eſt, Exod. 33. Numerorum 12. Deut. 34. Quibuſdam dormientibus per inſomnia apparuit. Numerorum 12. 6. Si propheta inter vos fuerit, per viſionem aut inſomniũ cum eo loquar. Ioel 2. 28. Filij veſtri filiæq; veſtræ prophetabunt, ſenes ſomnia ſomniabunt, iuuenes viſiones videbunt. Alij Dei ſpiritu correpti & afflati, de futuris vaticinati ſunt: vt Elizæus, 2. Reg. 3. 15. Azarias, 2. Paral. 15. 1. Item Iachaziel ibi cap. 20. 14. Cùm igitur prophetia tot ſub ſe genera, & fortaſſe plura comprehendat: viſionem, familiarem in os colloquutionem, inſomnium, diuini ſpiritus afflationem, qualis à prophanis ſcriptoribus ἐνθουσιασμὸς vocatur: ſub primo illo hæc Abdiæ prophetia continetur. Viſio erat qua Deus Abdiæ vigilanti, vel in ecſtaſin rapto, hanc doctrinam, & vaticinij huius donum tradidit.

Secundo in loco nomen miniſtri huius prophetiæ oſtédit: Is Abdias dictus eſt. Verùm quis hic Abdias fuerit, non conſtat. Qui eum fuiſſe autumant qui tempore Achabi prophetas Dei à Ieſabelis furore abditos pauit, atq; ex Idumæa oriundum, nihil certi quo id ita eſſe confirment afferre poſſunt. Multò quidem rectiùs & veriſimiliùs Tremellius eo tempore prophetaſſe eum iudicat, quo Eſechiel & Ieremias. In quam etiam ſententiam Caluinus inclinare videtur, conſenſu huius prophetæ cum Ieremiæ capite 49. ductus. Verùm præter illum conſenſum horum inter ſe prophetarum, alia nobis ratio, eáq; (vt mihi videtur) firmior ex 11, 14, 16, 20. verſibus huius prophetiæ ſuppeditatur: vbi captiuitatis Ieroſolymitanæ mentio fit, & Idumæorum odij Iudaicæ calamitatis tempore declarati: Ea autem Ieremiæ & Eſechielis ætate contigit. Itaque ſi coniecturis hîc aliquid tribuendum eſſet, citiùs profecto exiſtimauerim fuiſſe eum, qui 2. Paral. 34. 12. commemoratur opificibus domum Dei inſtaurantibus præpoſitus

decimo octauo anno regis Iosiæ, cuius tempore Ieremias quoque vaticinatus est, quàm illum alterum qui diu antè sub Achabo floruit. Sed neque illum neque hunc fuisse affirmare ausim, aut à quoquam pro certo credi velim: Prudentis enim est à rebus incertis assentionem suam cohibere. Atque hæc de prima huius operis parte.

Sic ait Iehoua.] Secunda hîc sequitur, nempe prophetica concio, quæ ipsa quoque bimembris est. Primùm enim antecedit præfatiuncula, quæ partim authorem huius vaticinij ostendit, Sic ait Iehoua, vt ita authoritatem & fidem suis verbis conciliet: partim subiectum, de Edom, vel Idumæis, quorum hîc ruina & exitium prædicitur propter eorum magnam crudelitatem, & summum odium, quo fratres suos Israelitas prosequuti sunt. Erat autem Edom Isaaci filius natu maior, Esaw primùm nominatus. Postea verò ei nomen Edomo factum est, ab edulio rufo quo primogenituram suam Iacobo vendidit, Genes. 25.30. Rubedinem enim Hebræis ea vox propriè notat. Idcircò hîc per metonymiam pro Esawi nepotibus, nempè Idumæis ponitur, vt alterum etiam eius nomen Esaw, vers. 6. eodem modo.

Auditionem audiuimus.] Alterum hîc incipit concionis membrum, quo Dei mandata exponuntur: Atq; hoc rursum in tres partes tribuitur. Earum prima est vindictæ denunciatio, ad versum duodecimum: Secunda, dehortatio inde ad versum decimum septimum: Tertia, promissio siue consolatio, reliquis ab eo loco sequentibus. Denunciationis propositio hijs verbis & versu sequente explicatur: Idumæam scilicet ab alijs gentibus contra eam ad bellū congregatis ita vastatam iri, vt eius habitatores præ tanta clade & miseria, alijs nationibus contemptui futuri sint. Eam verò tandem completam & perfectam fuisse discimus ex Malachiæ cap. 1. vers. 3. & quidem à Babylonijs, ex Ieremiæ, cap. 25. 9. & 21. versibus.

Et legatum dicentem surgite.] Hypotyposis est, qua futuram calamitatem quasi iam præsentem figurat: vt cum Ierem. capite 4. 19, 21. versibus, dicit se sonum buccinæ, & clangorem

langorem belli audire, vexillúmq; videre, belli iam imminentis signum.

2 *Paruum.*] Hoc est, vilem, despectum, & abiectum, vt Psal.119.141. Paruus ego & contemptus. Metaphora est Latinis vsitata, quia parua fere despiciuntur. Hinc enim res minimi præcij & contemptæ, parui fieri & parui esse dicuntur. Contrariáq; ratione honorati, qui in summo precio habentur, magni vocantur, Ionæ 3.7. Ex sententia regis & magnorum eius, id est, magnatum & principum nobiliorum. Vtrúmq; videre licet Math. 5.19. Quisquis soluerit vnum ex mandatis hijs, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: quisquis autem fecerit & docuerit, is magnus vocabitur.

3 *Superbia cordis tui te decepit.*] Superiorem illam de futura Idumæorum miseria propositionem varijs rationibus illustrat & explicat. Primùm verò tacitis ipsorum cogitationibus occurrit, & vanæ fiduciæ quam in regionis suæ defensione posuerunt. Erat enim ardua rupium altitudine munita, ita vt inuia & inaccessa videretur. Inde natam superbam eorum securitatem & inanem confidentiam, qua se tutos ab hoste fore putabant, duobus hisce versibus confutat comparatione minorum: quia si vel ipsius cæli altitudine muniti essent, Deus eos inde deijceret, multò igitur faciliùs ex humiliore loco.

Fissuris petræ.] Est enim Idumæa regio petrosa, & montosa. Esechielis 35.7. Tradam montem Seiris desolationi, & replebo montes eius confossis. Theodoretus in hunc locum dicit Idumæam altorum montium fastigijs munitam esse: eóq; conscendentes Idumæos euadere ab hostibus solitos esse.

4 *Exaltares vt aquila.*] Subaudi nidum tuum. Sic enim hac de re loquitur Ieremias cap.49.16. Quamuis exaltares vt aquila nidum tuum, inde deijcerem te. Similitudo apta est: Aquilas enim in locis celsis, ac præcipuè saxis arduis & præcipitibus nidulari, author est Aristoteles. Quod etiam Iobus cap.39.30. confirmat, An ad præstitutum tuum altum petit aquila? An attollit nidum suum? Ru-

pem inhabitat,& immoratur in scopulo rupis, & munitione. Nidum aquilæ adire difficile est propter altitudines montium in quibus nidificant,ait Albertus.

5 *An fures.*] Comparatione minorum,denunciati mali grauitatẽ amplificat, quòd longè acerbior ab auaris & crudelibus inimicis miseria eos maneat,quàm solet afferri vel à furibus & latronibus,qui quædam tantùm surripiunt, non omnia tollunt : vel à mitiore hostium genere, qui vindemiatorum more paucis saltem aliquibus, præsertim è pugna fugientibus parcunt. Idumæorum enim hostes tanta inclementia fore affirmat, vt omnes latebras & recessus scrutaturi sint, ne quicquam omnino relinquant, siue homines siue opes: quin illos in cædem, has in prædam rapiant. Est verò hæc sententia illuminata ea eloquutionis specie quæ addubitatio dicitur, & admirantis exclamatione : figura ad animos eorum permouendos efficaci,non vulgaris aut leuis alicuius, sed mirabilis & incredibilis cladis metu.

Vastatores nocturni.] Alij, prædones nocturni. Hieron. latrones per noctem. A Ieremia idem agente id furibus tribuitur, cap.49.9. Si fures, inquit, noctu veniissent, perderent quod satis esset. Nocturnos memorat, quia fures & latrones hoc potissimùm tempore grassari solent. 1. Thessalon. 5. 2. Veniet dies Domini vt fur in nocte. Horatius.

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.

Virgil.Georg.3.

Nunquam custodibus illis,
Nocturnam stabulis furem,aut horrebis Iberos.

Hinc (vt Adrianus Turnebus aduersariorum lib. 19. cap. 7. obseruauit) Petronius pro furibus nocturnos dixit illis verbis, Aduocati tamen iam pene nocturni, qui volebant pallium lucrifacere, flagitabant vt apud se vtraque deponerentur. Est autem hoc genus furum atrocius quàm eorum qui interdiu prædantur. Id declarat illa decemuiralis Romanorum lex, quæ ei qui per noctem furatus esset grauiorem pœnam statuit, quàm qui interdiu:

diu : furem enim vel ob eam causam occîdi permisit, si cum faceret furtum, nox esset : At diurnum, non nisi se telo cum præhenderetur defenderet, vt docet Gellius lib. 11. cap. 18. Cicero etiam in oratione pro Milone, duodecim tabulæ, inquit, nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt.

Vindemiatores.] Hoc nomine clementius militum genus intelligo, qui non tam auidè sanguinem sitiunt, vt neminem fuga euadere sinant, vt nullos prætereant vel omittant, vt omnes ad necem exquirant, & persequantur. Metaphora à vindemiatoribus sumpta, qui cum vuas colligunt, non omnes racemos decerpere solent. Deut. 24. 21. Cum vindemiabis vineam tuam, ne racemato postquam vindemiaueris : peregrini, pupilli, & viduæ esto. Simili ratione Iudicum 8. 2. Madianitarum cædes à qua multi aufugerant, vindemia appellatur : reliquiarum verò persequutio & occisio racemationi confertur. Atque Esaiæ 17. 6. & 24. 13. superstites à gladio, racemis post vindemiam relictis comparantur.

6 *Perueſtigantur Esaw.*] Hoc est, Esawitæ, vel Idumæi, ipsi videlicet homines, vt ad vnũ omnes intereant. Quod Ierem. cap. 49. 10, 11. versibus pleniùs declaratur. Denudaturus sum Esawum, retecturus abdita eius, adeo vt sese abscondere non possit : vastabitur semen eius, fratréque eius, & vicini eius, adeo vt nullus superst qui dicat, Relinque pupillos tuos.

Abdita eius.] Id est, Thesauros abditos & repositas opes, quibus Hebræi ab absconsione nomen tribuerunt, propterea quòd ab hominibus diligenter & accuratè abdi solent. vide Math. 13. 44. Hinc ab Esaia cap. 45. 3. thesauri tenebrarum vocantur, aliísque nominibus occultationem denotantibus appellantur : nempe. מטמונים Iobi 3. 21. Item alibi. משתרים

7 *Fœderati tui.*] Propositionem illam de calamitate Idumæis ab hoste oppugnante futura, contraria ipsorum ad resistendum imbecillitate illustrat, necessarijs ad sui defensionem præsidijs ac adiumentis defectorum : fœderatorum

deratorum ſocietate ac ope, hoc verſu : conſiliariorum ſapientia, ſequente : Militum robore & fortitudine, 9. Hijs verò ſui contra hoſtem defendendi rationibus ſublatis, decretum ac prænunciatum exitium certò eos expectare vult, eíque contrariam ſalutem deſperare. Simili argumento Rabſhake 2. Regum 18.20. contra Iudæos vtitur, negans eos conſilio vel fortitudine ſua, vel AEgyptiorum adiumento ſeruari poſſe, vt omnem illis ſpem ſalutis adimat, cum intelligant quæ ad hominum defenſionem in bello plurimùm conducunt, ſibi vel defutura vel nihil profutura eſſe. Locorum enim opportunitas, ſociorum auxilia, militum virtus multùm iuuant, ait orator pro Marcello. Prudentia verò ſapientum quantùm in bello valet, Agamemnonium illud apud Homerum votum 2. iliad. facilè oſtendit, quo decem Neſtoris ſimiles conſiliatores optat. Id ſi ſibi contingat, quin Troia breui peritura ſit non dubitat. Tantum autem abeſſe declarat, vt aliquid adiumenti ab amicis, ſocijſq; fœderatis habituri ſint, vt contrà, eos acerbos & graues aduerſarios experturi ſint.

Comedentes panem tuum.] Hoc eſt, familiares ſocij tui cum quibus tibi menſa & conuictus communis erat. Pſal. 41.10. Vir pacis meæ (id eſt, amicus qui mecum pacem colebat) is cui confidebam, qui cibo meo veſcebatur, contra me calcem ſuſtulit. Eccleſiaſtici 20.16. non eſt amicus mihi, qui comedunt cibum meum vani ſunt lingua.

Ponent vulnus ſub te.] Hoc eſt, per inſidias tibi exitium machinabuntur. Graue erat à fœderatis deſeri: ſed à familiaribus quibus profuerant & victum communicârant, non relinqui ſolùm, ſed oppugnari, & eorum inimicitias atque odium incurrere, multò acerbius.

8 *Prudentiam è monte Eſawi.*] Hoc eſt, prudentes. Meton. adiuncti, vt Eſa. 3. 25. homines tui gladio cadent, & fortitudo tua bello, id eſt, fortes tui. Hoc modo luxuria pro luxurioſis, & ſuperbia pro ſuperbis ponitur, & ſenectus pro ſene dicitur à Lucano lib. 2. *Sic mœſta ſenectus*
Præteriti q; memor flebat metuenſq; futuri.

de

de sene bellorum ciuilium mala deplorante.

9 Teman filius erat Eliphazi,& nepos Edomi,Gen.36. 11. Eius posteri in aliqua parte Idumeæ habitauerunt. Hinc Idumæos designat per synecdochen, quo modo Israelitæ aliquando Ioseph & Ephraim dicuntur. Amos.5.6. vt non peruadat velut ignis domum Iosephi.Ose.4.17.coniunctus est idolis Ephraim,sine illum.

Ab occisione.] Hieronymus vertit, propter interfectionem,& hinc statuit sequentis versus initium, vt ante eum interpretes Græci qui septuaginta dicuntur fecerant: Propter interfectionem vel cædem & iniuriam qua fratrem tuum affeciſti. Ioel 3. 19. dicuntur quidem effudisse sanguinem Israelitarum in terra sua. Itaq; verum etiam illa interpretatio dicit: sed non ob eam causam vsitatam & tritam lectionem damnauerim.

10 *Propter iniuriam.*] Declaratio propositionis à causis quibus vltricem Dei manum accersiuerunt. Eæ tres sunt. Prima iniuria siue violentia, id est, iniusta vis sine causa facta,hoc versu: Secunda inhumanitas & maleuolentia,sequente,quòd miserorum fratrum suorum ex aduerso stantes spectatores potiùs quàm adiutores fuissent: Tertia in fine versus sequentis, hostilis inimicitia: Eras quasi vnus ex illis.Atrocitas verò horum factorum exaggeratur circumstantijs personæ, fratris tui: loci,cum stares ex aduerso: temporis,cum captiuæ eius facultates ducerentur,& super Ierosolyma proijcerent sortem.

Fratris tui.] Amplificatio à personæ circumstantia.Fratres enim natura ipsa ad se inuicem amandos arcto sanguinis vinculo inter se coniunxit. Itaq; Deus, Deut.23.8. cùm Israelitas vetat Idumæos detestari, ab hoc nomine rationem affert: Ne,inquit,Idumæum abominare: frater enim tuus est. Huc pertinet quod sequitur in fine versus proximi,] Etiam tu eras quasi vnus ex illis: Etiam tu qui frater eras, & propterea quacunque ratione posses illis subuenire debueras,& dolorem potiùs quàm voluptatem ex eorum malis capere.Frater enim,vt ait Salomon, Prouerb.17.17. ad angustiam nascitur: hoc est,vt in rebus dubijs

bijs & afflictis opem vel ſolatium ferat. Itaq; Dauid cùm ſuum erga falſò creditos amicos amorem & fidem teſtatur, dicit ſe in eorum malis perinde doluiſſe ac ſi ſibi germani fratres fuiſſent, aut ſi ſibi propter germani fratris grauiſſima mala lugendum eſſet. Pſal. 35. 12. Ego, inquit, ægrotantibus illis, pro veſte ſacco vtebar, & me ieiunio afflixi: quaſi frater mihi eſſet ambulaui, tanquam lugens matrem atratus curuaui me. Similiter Ouidius 1. de ponto.

Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quàm ſi frater in igne foret.
Hæſit in amplexu, conſolatúſq; iacentem eſt,
Cúmq; meis lachrymis miſcuit vſq; ſuas.

Ex hijs officijs quæ fratres ſibi inuicem in periculis amanter præſtare ſolent, Græcis factum illud apud Platonem 2. de repub. prouerbium. ἀδελφὸς ἀδελφῷ παρεῖν. De induſtria igitur propheta hoc amabile fratris nomen poſuiſſe videtur, ad ſcelus eorum aggrauandum: fratrem enim fratri, miſero ipſius tempore, non ſolùm non adeſſe, ſed inſultare etiam, & aduerſari, & illudere, & lætari, indignum planè & intolerandum eſt.

Teget te pudor.] Facies pudefactis rubore ſuffundi ſolet, & quaſi operiri. Hinc Hebræi erubeſcentes pudore tegi dicunt. Mich. 7. 10. videbit inimica mea, eámq; teget pudor. Pſal. 69. 8. Propter te ſuſtineo opprobrium, operit ignominia faciem meam. Pacuuius in Peribœa ita loquutus eſt. Nam ſi te tegeret pudor, ſiue adeo cor ſapientia imbutum foret.

Excindêris in ſeculum.] Quod nonnulli hinc colligunt aliam eam fuiſſe Idumæorum cladem quam Ieremias 25. 9, 21. à Babylonijs eos paſſuros eſſe prædicit, ab iſta quam Abdias denunciat, quòd illi certum tempus præfinitum ſit ſeptuaginta annorum, huic autem nullus ſit finis præſtitutus: me nihil mouet. Nam & Ieremias eam ipſam à Chaldæis inferendam deſolationem prophanis gentibus æternam fore oſtendit verſu 9. illius capitis 25. Adducam, inquit Deus, regem Babyloniæ contra omnes gentes

tes circumquáque: eáſque exponam deſolationi, ſibilo, ac vaſtitatibus perpetuis. Et Malachias 1. 4. de eadem iam antè à Babylonijs conſummata loquens, eam perpetuam fore confirmat, Eſawi montes in deſolationem redegi, poſſeſſionémque eius in habitaculum draconibus deſerti. Si verò dixerint Idumæi ſe rurſum vaſtata loca ædificaturos: Sic dicit Iehoua, Ipſis ædificantibus ego deſtruam, & vocabuntur terra improbitatis, & populus cui indignatur Iehoua in ſeculum. Exciſi autem in ſeculum dicuntur, & vaſtata eorum regio in perpetuum, non quòd habitata poſtea non fuerit: (certum enim eſt tandem incolis eam iterum repletam fuiſſe:) ſed quia à ſolis Idumæis eo quo antè iure, ex quo ſemel inde migrârant, nunquam poſſeſſa fuit. Veteribus Idumæis expulſis noui coloni ſucceſſerunt. mixti illi quidem, vt probabile eſt, cum quibuſdam Idumæis eò reuertentibus: Verùm toti Idumæorum genti ab ea clade ſuperſtiti, eò iterum redeundi nunquam poſtea facultas conceſſa eſt, ita vt nouis illis colonis ſibi cedentibus priſtinum ſuum ſtatum reeuperarent. Sic Iſraelitarum in Aſſyriam deportatorum captiuitas æterna vocatur, quia etſi eò poſt illam eorum diſſipationem multi redierunt: toti tamen populo reuertendi poteſtas nunquam facta eſt, vt priore ſua reipublicæ forma receptum regnum adminiſtrarent. Ita quod dicit Eſechiel de Idumæa æternùm deſolanda intelligo, cap. 35 9. Deſolationibus perpetuis tradam te, & ciuitates tuæ non reſtituentur. Atque Eſaias cap. 34. 10. Idumęæ fumus in ſempiternum aſcendet: à generatione in generationem vaſtata manebit. Ita etiam quod à Ieremia 25.9. de aliarum gentium ſemper duratura vaſtitate prænunciatur. Nam quod ſeptuaginta annis regi Babyloniæ eas ſeruituras affirmat, ſeruitutis earum finem non ſtatuit: ſed imperij Babylonici modum definit, à ſeptuaginta annis delendi, vt 11. & 12. eiuſdem cap. verſus monſtrauerint.

11 *Stabat ex aduerſo vel è regione.*] Habitus eſt ſpectantis alium in malis, opémq; ſuam detrectantis. Tantum enim

nim aberat vt fratrum ſuorum miſererentur illiſue ſuccurrerent, vt etiam ex aduerſo ſtantes luctuoſam eorum calamitatem læti intuerentur. Id copioſè ſequentes verſus declarant. Ne læteris de Iudæis in die exitij ipſorum; ne aſpicias malum eius die calamitatis ipſius. Illa enim dehortatione ſignificat hæc ab illis fieri ſolita eſſe. Quod etiam Eſechiel cap.35.15.teſtatur. Secundum lætitiam tuam de Iſraelitarum poſſeſſione eò quòd deſolaretur, ita faciam tibi.

Quo die captiuas abduxerunt.] Exaggeratio criminis ab adiuncto temporis. Miſeris enim calamitoſo eorum tempore inſultare, eóſq; læto vultu ſpectare, ſummam maleuolentiam arguit,& extremã hominis nimis immiſericordis inhumanitatem. Eſt enim illud tempus quod lachrymas potiùs elicere ex aſpicientium oculis debeat, quàm riſum illis mouere. Paulus ad Rom.12. flere cum flentibus iubet. Idq; poſtulat illa ſympathia qua vno membro patiente reliqua vnâ dolent, 1. Cor. 12. 26. Hac de re Iobus cap. 31. 29. tanquam de atroce ſcelere ſe ſtudioſè purgat: Si lætatus ſum in calamitate inimici mei, & excitaui me cum obuenit ei malum. Auſonius ex Pytaco Mitylenæo eum qui dolorem infœliciũ ridet dementem eſſe affirmat.

Proiecerunt ſortem.] Victores victos eorúmq; bona inter ſe facta ſortitione diuidebant. Nahum. 3.10. Abijt in captiuitatem, ſuper honoratos eius proiecerunt ſortem, deniq; omnes magnates eius vincti fuerunt compedibus. Ioelis 3. 3. In populum meum proiecerunt ſortem, pucrúmq; pro meretrice expoſuerunt,& puellam pro vino vẽdiderunt. Quàm hoc acerbum ſit, Hectoris Andromache apud poetam AEneid.3.declarat.

O fœlix vna ante alias Priameia virgo,
Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis
Iuſſa mori,quæ ſortitus non pertulit vllos,
Nec victoris heri tetigit captiua cubile.

Quaſi vnus ex illis.] Idumæos enim Iudæorum facultates diripuiſſe, aufugientibúſq; obſtitiſſe, eóſq; qui euaſerant prodidiſſe,ex verſ.13.& 14.veriſimile ſit,vbi eos Abdi-

as

as dehortatur ne deinceps ita faciant. Eorundem verò instigatione auctus hostium furor est, ad quos clamitabant, nudate, nudate ad fundamentum vsque. Psal.137.7. vt non immeritò in hostium numero haberi videantur.

12 *Ne ergo.*] Secunda hîc incipit mandati diuini pars tribus versibus comprehensa: nempe dehortatio, siue admonitio, Ne Idumæi in calamitosos suos fratres se insolentiùs aut crudeliùs gerant quemadmodum antè consueuerant, voluptatem ex eorum miseria capiendo, eis insultando & superbè illudendo, eorum opes diripiendo, fugientibus obstando, elapsos prodendo.

Aspicias.] Hoc est, ne læteris in ea, ne capias voluptatem ex illius aspectu, vt ex sequentibus liquet. Sic Psal.22. 18. Ipsi verò intuentur, & aspiciunt me. Quæ enim hominibus voluptati sunt, ea cupidè & lætè intuentur, vt contrà ab illis quæ displicent auertunt oculos. Theodoretus ad hunc locum id rectè declarat. Τὸ δὲ μὴ ἐπίδῃς, ἀπὸ τῆς κοινῆς εἴληφε χρησέως. εἰώθασι γὰρ τινες λέγειν, ἐπεῖδον ἢ ἐπεῖδα, τέτ' ἔστιν ἡσθην αὐτῷ κακοῖς παραπαλαίοντι. Quod inquit hîc dicitur, ne aspicias, à communi vsu sumpsit. Solent enim quidam dicere, Vidi talem, hoc est, eo sum delectatus quòd malis oppugnetur. Hinc Albinouanus in epicedio ad Liuiam de morte Drusi.

At tibi ius veniæ supereſt Germania nullum:
Poſtmodo tu pœnas barbare morte dabis.
Conſiſtam, lætiſq; oculis lætuſq; videbo
Strata per obſcœnas corpora nuda vias.
Hunc aurora diem ſpectacula tanta ferentem
Quamprimùm croceis roſcida portet equis.

Diem fratris tui.] Diem hîc vocari diem pœnæ & afflictionis idem Theodoretus annotauit: Annotatio veriſſima: Sic enim Psal.137.7. Recordare contra Idumæos diem Ieroſolymæ, ait psaltes, diem calamitatis ipsius intelligens. Synecdoche generis est: Quo modo tempus etiam pro tempore aduerso & calamitoso dicitur. Vtriúsque exemplum est, Esa.13.22, Appropinquat tempus eius, nec dies eius proferentur.

Aliena

Alieni exitij eius.] Varijs nominibus clades Iſraelitarum vocatur, ad aggrauandum Idumęorum odium & crudelitatem. Primùm נכר quod quidam alienationem interpretantur: Sed potiùs, ſi ita bona cum Latinorum venia dicere licet, alienitatem ſignificare videtur. Eam enim vim habet, quam Latina lingua vt propriè & aptè vna voce exprimat, neſcio. Nam non tam alienantis actionem, quàm ipſam rei alienæ qualitatem & conditionem notat: *Strangeneſſe* Anglicè. Hinc per metonymiam adiuncti alienam calamitatem deſignat, hoc eſt, inſolitam & nouam quandam calamitatem, mirabilem plagam, & inſuetum exitium. Noua enim & inſolita ac mirabilia Hebræi aliena & extranea vocant per metaphoram. Eſa. 28. 21. vt in monte Peratſim exurget Iehoua, & vt valle Gibeonis iraſcetur, ad faciendum factum ſuum extraneum, & operandum alienum opus ſuum: hoc eſt, inuſitatum & admirabile genus pœnæ. Sic etiam נכר nomen diuerſæ quidem formæ, at ab eadem radice & eiuſdem notionis Iobi 31. 3. vſurpatur: An non calamitas prauo, & נכר operantibus iniquitatem? Raram quandam & inauditam miſeriam omnes (quos mihi videre contigit) Hebræi ſcholiaſtæ ibi intelliguut. Tremellius etiam monſtroſum exitium interpretatur. Iam verò hoc excidium Ieroſolymitanum mirabile & ſtupendum fuiſſe, Ieremias lament. 1. 9. teſtatur. Mirabiliter, inquit, deiecta eſt, de deſolata Ieroſolyma loquens. Iudæorum ruinam mirabilem fore prædixerat Deus, 2. Par. 7. 21. Si deſerueritis mandata mea, extirpabo vos è terra mea, & domum meam à facie mea abijciam, & iuxta eam tranſeuntes ſtupebunt, dicentes, Quare fecit Iehoua ſic huic terræ & domui?

Magnifices os tuum.] Magnificare os, Hebræum genus loquendi eſt, pro afflictis ſuperbè & contumelioſè illudere, ac intolerandis probris inſultare. Pro quo magnificare ore dicitur ab Eſechiele eandem Idumæorum inſolentiam arguente, cap. 35. 13. Magnificaſtis contra me ore veſtro, &c.

13 *Neque extendant ſe manus.*] Alij, ne extendas manſi, eadem

eadem ſententia. Eſt verò hîc ellipſis nominis יד poſt verbum שלח vt 2. Sam. 6. 6. Extẽdit Vzza ad arcam (ſubaudi manum ſuam) & tenuit eam. Extendi verò manus dicuntur ad opes, cùm in illis diripiendis verſantur. Lament. 1. 10. Extendit manum ad deſideria eius. Eſteræ 9. 10. Ad prædam verò non miſerunt vel extenderunt manum.

14 *Ne ſtes ad rupturam.*] Videlicet, vt aufugientibus aditum occupes ne euadant: Per rupturas enim effugia patent. Amoſi 4. 3. Per rupturas exibitis.

Profugos eius.] פלוט adiectiuum eſt, Hebræis eum denotans qui effugit vel euaſit: hoc eſt, profugum. Vt enim profugio interdum tantundem valet atque effugio, euado: (Cicero 7. Ver. Qui ex prædonum inſidijs, qui ex tempeſtatum periculis profugiſſent, hoc eſt, euaſiſſent.) Sic profugus dicitur nonnunquam qui ex periculis aut malis euaſit. Plinius lib. 7. cap. 28. M. Sergius bis ab Annibale captus, bis vinculorum eius profugus. Pagninus, euaſores eius vertit, verbum è verbo aptè, ſed non ſatis Latinè. Tremellius verò eos qui euadunt ex eo. Ad ſenſum verè, Latiniùs etiam: ſed minùs ad verbum aptè. Rectiùs Caſtalio, elapſos eius. Nam elabor ſæpe euadere ſignificat, vt vox Hebræa. פלט Virgilius AEneid. 2.

Ecce autem elapſus Pyrrhi de cæde Polytes,
Porticibus longis fugit per tela per hoſtes.

Cicero in epiſtolis ad Atticum de Pompeio à Cæſare fugiente, Elapſus è ſoceri manibus, ac ferro, bellum terra mariq; comparat. Vtráq; igitur harum interpretationum proba eſt, profugos eius, vel elapſos eius.

Neque perdas.] Per gradus à minoribus fere malis ad maiora & atrociora aſcendit: A ſpectatione, ad læticiam, inde ad inſultationem & ſuperbiloquentiam. Eam ſequitur direptio, ac tandem vltimó loco proditio. Hoc grauiſſimum eſt, & ſummam malcuolétiam arguit, miſeros ac ærumnoſos homunciones qui fuga vitam ſuã ſeruare quærunt, prodere, ac hoſtibus ad necem tradere.

15 *Nam propinquus eſt dies.*] Ratio eſt ſuperioris dehortationis, à metu talionis: Breui enim Deum vltionem

sumpturum esse de omnibus gentibus affirmat, itaque inter eas etiam de Idumæis eóq; tempore eis par pari relaturum: Itaque cauendum illis esse, ne se insolentes aut feros contra Dei populum præbeant, si sapiant. Magna enim est eorum insciti a qui ex alienis malis voluptatem capiunt, cùm æquè graues æruumnas sibi ipsis impendere sciant. Nullaq; ratio ad homines cohibendos ne tristi ruina afflictos ludificentur valentior est, quàm si metuant, ne ipsi quoque propediem simili casu deijciantur. Itaque frequens est hoc genus dehortationis. Ouidius.

Quæ tibi res animos in me facit improbe? cur ue
Casibus insultas quos potes ipse pati?
Tu memor humanæ sortis quæ tollit eosdem
Et premit incertas ipse verere vices. Tibullus.
At tu qui lætus rides mala nostra, caueto:
Mox tibi non vnus sæuiet vsq; Deus.

Inter sententias μονοστίχους quæ magna ex parte Menandri esse dicuntur, hæc vna est.

Μὴ μ' ἔσυν δυσυχοῦντι· κοινὴ γὰρ τύχη.

Quare sapienter Vlysses apud Sopoclem in Aiace negat sibi iucundum videri inimici sui Aiacis miseriæ spectaculum, quòd calamitates eiusmodi communes esse sciat. Et meritissimò Ieremias lament.4. 21. hanc Idumæorum maleuolentiam & insaniam deridet: Lætare, inquit, filia Edomi, & gaude, etiam ad te poculum transiturum est.

Vt fecisti fiet tibi.] Idem confirmat Esechiel ita fore in fine capitis 35. Secundum lætitiam tuam de possessione domus Israelis, eò quòd desolaretur, ita faciã tibi: desolatissimus eris, mons Seir, & tota Idumæa quantacunq; est. Iustissimum verò hoc Dei iudicium est, vt maleficis par pari rependat. Hinc talio dicitur, & Græcè ἀντιπεπονθὸς quòd qualia quis fecerit, talia patiatur. Adonibezeco, Iudicum 1.6. id tandem mali quo alios affecerat hac diuina talione repensum est, pollicibus & hallis suis amputatis. Quod ille ibi fatetur: vt feci, ita mihi Deus retribuit. Et eiusdem libri cap.8.19. qui crudeles se in alijs occidendis præbuerant, æquam tandem mercedem receperunt. Phineus

neus cùm filios ſuos nouercæ ſuaſu excæcaſſet, eandem poſtea cæcitatem expertus eſt. Ouidius.

Quid fodis immeritis natis ſua lumina Phineu?
Pœna reuerſura eſt in caput iſta tuum.

Diomedes rex Thracum, equos pauit carne humana: idémq; ipſe tandem paſſus eſt, ſuis ab Hercule pabulum armentis datus. Seneca de inferorum pœnis.

Quod quiſq; fecit patitur, authorem ſcelus
Repetit, ſuoq; premitur exemplo nocens.

Iudicauerunt ſcilicet poetæ Latini talionem improbis iuſtiſſimam mercedem eſſe: Neque hoc iudicio ſuo à vero aberrauerunt: Iuſtiſſimi enim legiſlatoris ipſius Dei æquiſſima hæc lex eſt, Leuitic. 24. 19. Quod quis proximo ſuo fecit, fiet illi: fractura pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente, &c. Chriſtus etiam ipſe talionis metu homines abſterret à temerarijs & prauis iudicijs, Math. 7. Quo enim, inquit, iudicio iudicatis, iudicabimini; & qua menſura metimini, viciſſim metientur vobis. Similiter fere hic noſter Abdias, Ne aſpicias miſeriam Iudæorum cum voluptate & gaudio, ne ludificeris, diripias, prodas eos: Quemadmodum enim facis fiet tibi, meritum tuum redibit in caput tuum.

16 *Nam vt bibiſtis in monte ſancto meo.*] Generale illud, (de quo verſu antecedente loquutus eſt) gentiũ inimicarum ſupplicium arguitur comparatione earum cum Iſraelitis, qui antè caſtigati fuerant: Si enim Deus ſuis peccantibus non parcit, quæ poteſt alienis & extraneis corruptioribus ſpes impunitatis relinqui? Itaq; Ieremias cap. 25. 29. eodem argumento contra alias nationes diſputat: Cæpi populum meum malis afficere, & vos impunes eritis? Eôdem etiam Petrus, 1. epiſt. cap. 4. 17. Tempus eſt quo incipiat iudicium à domo Dei. Quòd ſi primum incipit à nobis, quis erit finis eorum qui non parent Dei euangelio? In communi verò omnium gentium pœna, nulla cauſa erat quare Idumæi impunitatem expectarent: præſertim cum in conſanguineum ſibi ſacrum Dei populum hoſtili anno eſſent, cumq; ſummo odio proſequerentur.

Itaq; Ieremias eodem argumento hoc contra Idumæos speciatim vtitur, cap.49.12. Quorum nullum ius erat bibendi bibunt,& tu impunis esses? non eris,sed bibes.

Vt bibistis.] Apostrophe est ad Iudæos, quos deinceps ad finem vsque capitis solatur, vt rectè Mercerus & Tremellius post Aben Ezram iudicauerunt. Sensus est,Vt populus meus Sione bibit: ita etiam alij bibituri sunt.Id facilè probauerit huius loci collatio cum verbis illis paulò antè allatis ex Ierem.49.12. Sic ait Iehoua, Quorum nullum ius erat bibendi, &c. Bibere verò ab Hebræis dicuntur,qui puniuntur & castigantur.Esech.23.32. Quia ambulasti in via sororis tuæ, tradam poculum illius in manum tuam,poculum sororis tuæ bibes. Math.20.22. Potestisne bibere poculum quod ego bibiturus sum? Nec verò sacrarum literarum solùm, sed etiam prophanarum loquutio est. Plautus in Casina.

Inde foras tacitus exeo cum ornatu quo vides,
Vt senex hoc eodem poculo,quo ego bibi,biberet.

Metaphora sumpta videtur à conuiuiorum consuetudine,in quibus quantum quisque,& quo modo temperatum biberet præscribebat συμποσίαρχος, qui arbiter etiam & magister conuiuij dictus est, & à Plauto dictator,quia bibendi leges ferebat,quas violari nefas erat, vt docet Muretus in Catullum epigram. ad puerum suum in ea verba.*Ingere in calices amariores vt lex Posthumiæ iubet magistræ.* Et Lambinus ad ea verba Horatij.

Nec regna vini sortiere talis.

Et Lipsius lib.3. antiquarum lectionum. Hoc verò bibentibus multis modis molestum erat: A mensura, si maior quàm ferre commodè possent: A potu ipso,si vel tenuior, vel fortior,vel amarior,vel acerbior esset. Itaq; liberari illa ad præscriptum & legem alterius bibendi necessitate, pro magno commodo & beneficio habetur apud Horat. satyra 6. libri 2.

Prout cuiq; libido est,
Siccat inæquales calices conuiua, solutus
Legibus insanis.

Quo

Quo in sensu haud scio an illud sit accipiendum Esteræ 1.8. Potationem iuxta legem nemo exigebat: Rex enim constituerat vt pro vniuscuiúsq; voluntate facerent. Quia igitur id bibere cogi, à quo abhorrebant, hominibus graue erat, inde factum vt poculum pœnæ merum significet, & supplicio affecti bibere dicantur.

Iugiter.] Hac voce discrimen inter Iudæos & alias gentes statuit. Illis enim ad certum temporis spacium grauissima mala captiuitatis perpessis, tandem castigationis poculum ablatum est, ne postea ampliùs biberent. Esaiæ 51. 22. Recipiam è manu tua poculum æstus mei, non perges bibere illud ampliùs: At aliæ gentes non biberunt solùm, sed perpetuò etiam biberunt. Æterna enim earum desolatio fuit, qualem antè Idumæis speciatim versu 10 minabatur. Vtrúmq;, tam gentium vastandarum numerũ, quàm vastitatis continuationem confirmat Ieremias 25.9. Omnes gentes circumquaq; vastitatibus perpetuis exponam. Hic igitur mirifica Dei potentia & bonitas erga populum suum eluxit, quòd ex tot gentibus profligatis & dispersis, Iudæos solos, quemadmodum antè per prophetas promiserat, reduxit. Illi enim post septuaginta annos expletos, authore Deo, Persarum regibus permittentibus, in terram suam reuersi pristinam suam conditionem recuperauerunt, alijs interea populis in desolatione sua permanentibus. Septuaginta interpretes pro חמיד iugiter, hic διὰ παντὸς posuerunt. Ex quo eos חמיד legisse conijcio. חמד enim merum denotat. Quæ lectio quanquam rectè huic loco congrueret: priorem tamen illam ei præfero. Quidam verò etiam ex veteribus Hebræis legerunt סביב. Omnes gentes circũquaq;, vt ex Eliæ Masoreth hammasoreth videre licet oratione octaua in fine, & concordantijs Hebræis, vbi hæc lectio manet, & prima maiorũ bibliorum Venetiæ cum quibusdã rabinis excusorũ impressione, qua ad marginem סביב apponitur. Verùm quin prima & recepta illa lectio sit verior, nõ dubito, cùm non solùm à Masoritis cõfirmetur, illa altera repudiata in illo loco Eliæ, מטעים ביח ספרי למבחב סביב

verumetiam à veteribus interpretibus Chaldæo & Hieronymo,ac præterea eius vestigia in ea quam septuaginta sequuti esse videntur appareant. Propè enim ad חמיך accedit חמיך characterum similitudine. Quod verò ad Venetianas illas annotationes attinet: earum authore nihil imperitius fuit, vt idem Elias memorato libro, præfatione eiusdem tertia testatur.

Absorbebunt.] Totum exhaurient,non paululum bibent, aut guttatim delibabunt. Ad calamitatis magnitudinem hoc pertinet. Magnam afflictionis & vindictæ mensuram eos manere significat,non paruam aut vulgarem aliquam pœnam. Sic Esech.23.32. Profundum & latum poculum bibes,ebrietate repleberis.

Erúnt q, ac si non fuissent.] Hoc est,prorsus peribunt, ita vt non maior eorum recordatio futura sit, quàm si nunquam omnino extitissent. Ita loquitur Syrachides cap.44. 9. Sunt etiam quorum nulla est memoria, qui perierunt quasi non extitissent,& fuerunt quasi non fuissent. Iob. 10. 19. Quasi nõ fuissem,ero. Idem fere est apud Esech.26.21. In nihilum te redigam & nusquã eris, quæsitáq; deinceps nunquã inuenieris. Quod ita Chaldæus interpres reddit כרלא אתניך חריתׄ quasi nusquã fuisses ponã te.

17 *In monte verò Sionis.*] Secundum propheticæ concionis membrum de Dei mandatis expositis, denuciationem, dehortationem, & consolationem continere diximus. Priores illæ minantis ac dehortantis partes hactenus absolutæ sunt: posteriores sequuntur, consolantis siue promittentis. Ac promissio quidem euangelica est, qua propheta in Christo quatuor potissimũ bona populo Dei pollicetur. Primùm salutem & liberationem, illis verbis, In monte verò Sionis erit euasio,eritq; sanctus: Tum victoriosam contra inimicas nationes potentiam,versu 18.deinde restitutionem in veteres possessiones suas plenè recuperatas,atq; etiam dilatatas,duobus sequentibus: deniq; imperium & dominium in Idumæos,vltimo.

Erit euasio.] Improbis & prophanis æternùm perditis, in ecclesia fidelium liberatio erit.Ioel 2.32. Quicunq; nomen

men Dei inuocauerit,ſaluus erit,& in monte Sionis ac Ieroſolymæ euaſio erit.

Sanctius.] Liberabitur à prophanarum gentium ditione & poſſeſſione qua prophanari dicitur.Eſa.47.6. Efferbueram contra populum meum,poſſeſſionem meam prophanaueram,& tradideram eos in manum tuam.

18 *Erit domus Iacobi ignis.*] Eccleſiæ potentiam in hoſtibus vincendis & perdendis declarat, ſimilitudine ignis ſtipulam conſumentis. Nam præcones euangelij vi verbi diuini damnationem & exilium improbis afferũt,ipſorum culpa,quòd increduli & contumaces ſint, nec verbũ prædicatum fide recipiant. Hinc Dei miniſtri odor improbis mortis ad mortem eſſe dicuntur, 2.Cor.2.16. & ſermo Dei gladio ancipiti penetrantior ad Heb.4. vocatur. Eadẽ aduerſus improbos fidelium doctorum potentia, Mich 5.8,9. verſibus oſtenditur, Erunt reliquiæ Iacobi inter populos velut leo inter beſtias,&c. Hoc verò ad plenũ implebitur vltimo iudicio, quo omnes improbi æterno exitio, prout illis ex verbo Dei denunciatum fuerat,adiudicabuntur.

19 *Et poſſidebunt pars auſtralis montem Eſawi, & humilis regio Philiſtæos.*] Iudæa Ioſuæ 15. in quinq; partes diuiſa eſt.Ex quibus vna ibi verſu 21. נגב i. auſtralis prope Idumæam: Altera שפלה i. humilis dicebatur, vicina Philiſtæis 33. verſu eiuſdem cap. Docet igitur hîc Abdias Iſraelitas non ſolùm priſtinam hæreditatem ſuam cum ſua iuſta magnitudine & plena integritate obtenturos, tam quod ad longitudinem quàm latitudinem attinet: ſed etiam eandem amplificaturos. Auſtralem enim Iudææ regionẽ Idumææ conterminæ,humilémq; adiacentis Paleſtinæ adiectione,& Biniaminem Gileade auctam fore dicit. Quo nihil aliud ſignificat,quàm eccleſiã chriſtianam,præ fidelium multitudine,mirum in modum dilatatam fore,vt anguſtiores futuri ſint veteris illius eccleſiæ Iſraeliticæ termini, quàm vt tanto numero capiendo ſufficiant. Sic Zacharias cap.10.verſ.10. Reducam eos è terra AEgypti, & ab Aſſyria congregabo eos,& in terram Gileadis Libaníq; adducam eos: ſed non ſufficiet eis.

Biniamin possidebit Gileadem.] Propagabit & extendet suam habitationem vltra Iordanem, ac præ maxima multitudine Gileadem etiam tenere & possidere cogetur. Hieronymus & Hebræi scholiastæ cum alijs quibusdam ita intellexerunt, quos libenter sequor.

20 *Quod Cananæorum fuit vsq; ad Sareptam.*] Erat oppidum ad Sidonem quod propterea Sarepta Sidonis appellatur, 1.Reg.17.9. In illis verò locis Cananæos habitauisse, ex Iud.1.31,32. didiceris. Asher non expulit habitatores Sidonis: Itaq; habitabat inter Cananæos illius terræ habitatores, eò quòd non expulit eos. Item ex Mathæi 15.22. Egressus illinc Iesus recessit in partes Tyri & Sidonis: & ecce mulier Cananæa à finibus illis egressa clamauit.

21 *Seruatores.*] Apostoli, pastores, aliíq; euangelij præcones & doctores hîc seruatores appellantur, quia eorum (sub Christo) ministerio Deus vtitur ad suorũ salutem, eorúmq; opera fideles seruantur. Hinc illi quoq; seruare dicuntur, 1.ad Tim.4.16. Attende tibi ipsi, & doctrinæ: persiste in istis. Id enim si feceris, & teipsum & eos qui te audierint seruabis. Iacobi 5.20. Qui auertit peccatorem ab errore viæ suæ, seruauit animam à morte. Micheæ verò 5.6. Christus per eos eripere dicitur. Assyrius cum venerit in terram nostram, contra eum septem pastores, & octo toparchas ex hominibus statuemus: Eripiétque ab Assyrio, cum terminum nostrum calcauerit.

Vt iudicent.] Hoc est, vt Idumææ præsint, Idumæos regant & gubernent, illis ius dicentes: quod imperij signum est. Sic seruatores illi quos Dominus quondam Israelitis mittebat, vt eos ab iniurijs vicinarum gentium defenderent, iudices erant & gubernatores populi. Ea Merceri ad hunc locũ expositio est: Quam ego vt probem facit, quòd Apostolis & doctoribus eadem ratione sub Christo imperium & dominium tribuitur, qua seruatores nominantur. Esa.14.2. Possidebunt Israelitæ populos, & in exactores suos dominabuntur. Psal.47.4. Hanc conuersarum ad fidem gentium gubernationem intelligens propheta, dicit populos Iudæis, gentésq; sub eorum pedibus subiectum iri.

Hinc

Hinc loco illo paulò antè ex Michea citato, paſtores atq; etiam principes appellantur.

Et erit Iehouæ regnum.] Chriſtus per euangelij prædicationem vbiq; regnabit. Etenim regnum Dei variè dicitur: Potentiæ, quo omnibus creaturis dominatur, eáſq; (vel ipſarum ingratijs) pro libito ad nutum ſuum paratas & ſubiectas habet. Huius præclarum elogium & illuſtre teſtimonium eſt. 1. Paral. 29. 11. Tua eſt, ô Iehoua, magnitudo, & potentia, & gloria, & æternitas, ac maieſtas: imò omnia in cœlo & in terra: Tuum eſt Iehoua regnum, vt qui te extollis ſupra omnia in caput: Tu dominium habes in omnia, & in manu tua vis ac potentia. Gloriæ, quo Deus ab electis in cœlo cum Chriſto capite coniunctis perpetuum glorificabitur: De quo illud accipiendum ad Galatas 5. 21. Qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. Gratiæ, quo ſpiritualibus & diuinitus validis armis, captiua ducitur omnis cogitatio ad obediendum Chriſto, vt loquitur Paulus 2. ad Corinth. 10. Quo homines ad obedientiam fide conuerſos, Deus per manum filij ſui in ipſorum ſalutem regit & gubernat, ſpiritualibus bonis ad vitam æternam locupletatos. Huic Chriſti, ſiue (vt vocitatur) gratiæ regno, Mathæus cap. 11. vim afferri dicit, atq; de eodem quod hîc legitur intelligendum eſt. Itaque quod pluribus antè ratione ipſorum miniſterij tributum eſt, vt ſeruare & iudicare, id eſt, gubernare dicerentur: hîc vni Chriſto, vt ſummo principi, propriè veréq; tribuitur. Ille enim ſolus eccleſiæ ſuæ caput & paſtor vnicus eſt. Oſe. 1. 11. Præponent ſibi caput vnum. Eſech. 37. 24. Seruus meus Dauid, id eſt Chriſtus rex, ſuper eos erit: & omnibus ipſis paſtor vnicus erit. Hinc Eſaias 19. 20. de Chriſto ſingulari numero loquens, Mittet eis, inquit, ſeruatorem & principem qui eripiat eos.

Breuis

Breuis Abdiæ analysis.

- Abdiæ 2. partes.
  - Inscriptio, quæ duo indicat:
    - Genus prophetiæ fuisse visionem.
    - Vatis & scriptoris nomen, Abdiam.
  - Præfatiuncula. Ea ostendit
    - Authorem, Iehouam.
    - Subiectum, Idumæam.
  - Concio, hic est
    - Mandati diuini declaratio, cuius tria mẽbra:
      - Denunciatio belli exitialis, 1. & 2. versibus. Quæ varijs argumentis declaratur: Comparatione minorum, 3. 4. Item 5. 6. Contrario, proximis tribus. Causis, 10. 11.
      - Dehortatio ab insultatione, direptione, & maligna proditione, 12, 13, 14. Eius αἰτιολογία est duobus sequentibus.
      - Consolatoria promissio,
        - Salutis & liberationis, 17.
        - Victricis in hostes potẽtiæ, 18
        - Recuperationis veterum possessionum auctarum, 19. 20.
        - Imperij, vltimo.

IONAS.

IONAS.

Cap. I.

ET fuit verbum Iehouæ ad Ionam filium Amittai, dicendo.

2 Surge, adi Niniuen ciuitatem illam maximam, & ‖ clama contra eam: quia ‖ ascendit malitia eorum in conspectū meum.

3 Et surrexit Ionas ‖ vt fugeret in Tharsis à conspectu Iehouæ: Et descendit ‖ Ioppen, inuenítq; nauem ‖ euntem in Tharsis, & dedit naulum eius, ac descendit in eam, vt cum eis iret in Tharsis ‖ à conspectu Iehouæ.

4 Iehoua autem iniecit ventum magnum in mare, fuítq; procella magna in mari, adeo vt nauis ‖ periclitaretur frangi.

5 Timuerunt verò nautæ, atq; inclamauerunt quisq; deum suum, ‖ proiecerúntq; instrumenta quæ naui inerant, in mare, vt leuarent se: Ionas autem descenderat ‖ ad latera nauigij, & iacebat, somnóq; sopitus erat.

6 Accedens verò ad eum nauclerus, dixit ei, Quid tibi, sopite? Surge, inuoca deum tuum, fortasse ‖ cogitabit de nobis Deus, vt non pereamus.

7 Deinde

7 Deinde dixerunt alter alteri, Venite, & sortes iaciamus, vt cognoscamus cuius causa malum hoc nobis est. Itaque sortes iecerunt, & cecidit sors super Ionam.

8 Tum dixerunt ei, Indica iam nobis, cuius causa hoc malum nobis est: quænam est ars tua? & vnde venis? quæ est regio tua? & ex quo populo es?

9 Et dixit illis, Hebræus sum, & Iehouã Deum cælorum ego reuereor, qui fecit mare, ‖ & aridam.

10 Tunc timuerunt viri illi timore magno, & dixerunt ei, Quidnam feciſti? nouerant enim viri illi eum à conſpectu Iehouæ fugere, nam illis indicauerat.

11 Dixerunt autem ei, Quid faciemus tibi vt conticeſcat mare à nobis? Mare enim ‖ procelloſum eſſe pergebat.

12 Tum illis dixit, Tollite me, & proijcite me in mare, & conticeſcet à vobis mare: Noui enim ego mea cauſa tempeſtatem hanc maximam contra vos eſſe.

13 Tunc ‖ remigauerunt viri illi vt reducerent nauim ad aridam, at non potuerunt: eò quòd mare in eos procelloſum eſſe pergeret.

14 Inclamauerunt igitur Iehouam, dicentes, Obſecramus Iehoua, ne iam pereamus propter animam viri iſtius, neque imponas nobis ſanguinem innoxium: Tu enim Iehoua ſicut voluiſti feciſti.

15 Deinde ſuſtulerunt Ionam, eúmq; in mare proiecerunt: ‖ deſtitítq; mare ab æſtu ſuo.

16 Et timuerunt viri illi Iehouã timore magno, &

& ſacrificârunt Iehouæ ſacrificium, vouerúntque vota.

17 *Parauerat autem Iehoua piſcem magnum ad abſorbendum Ionam: fuítq; Ionas in viſceribus illius piſcis tribus diebus, & tribus noctibus.*

Caput 2.

SVpplicauit verò Ionas Iehouæ Deo ſuo, è viſceribus illius piſcis.

2 *Et dixit, Inuocaui ex anguſtia mea Iehouam, & exaudiuit me: ‖ è ventre ſepulchri clamaui, audiuiſti vocem meam.*

3 *Me autem proieciſti in profundum, in cor marium, & ‖ fluuius circundedit me: Omnes fluctus tui & vndæ tuæ ſuper me tranſiuerunt.*

4 *‖ Ego verò dicebam, eiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: Veruntamen ‖ rurſum intuebor templum ſanctum tuum.*

5 *Circumiuerunt me aquæ vſq; ad animam, abyſſus circundedit me, ‖ alga alligata fuit capiti meo.*

6 *‖ Ad radices montium deſcendi: ‖ Terra, vectes eius ſuper me in æternum [erant:] Attamen eduxiſti è foſſa vitam meam, Iehoua Deus mi.*

7 *Cum obrueretur in me anima mea, Iehouæ recordatus ſum, peruenítq; ad te oratio mea, in templum ſanctitatis tuæ.*

8 *‖ Qui obſeruant vanitates mendaces, ‖ benignitatem ſuam derelinquunt.*

9 *Ego verò cum voce gratiarum actionis ſacrificabo*

crificabo tibi, quæ voui rependam: ſalus eſt Iehouæ.

10 Tum edixit Iehoua illi piſci, & euomuit Ionam in áridam.

ANNOTATIO IN CAPVT 1.

Ionas ordine quintus numeratur inter duodecim prophetas qui minores vocitantur: tempore verò illis omnibus prior & antiquior fuit. Id 2. Regum 14.25. liquet, ex eo quòd de pace & ſalute Iſraelitarum ſub Ieroboamo futura vaticinatus eſt, antequam calamitoſam eorum captiuitatem denunciaſſet per prophetas ſuos Deus: Cuius primi prænuncij fuerunt Oſeas & Amos, cum Eſaia. Itaq; temporis ratione eum primo loco collocari oportuit. Eſt quidem hic Ionæ libellus totus hiſtoricus: Continet enim de Ionæ ad Niniuitas miſſione narrationem, atque eam quidem duplicem. Prima, illius inobedientia declaratur: Secunda, eiuſdem obſequium enarratur. Inter prophetas autem ob eam cauſam collocatur, quia propheta erat, & hîc eius in Niniuen prophetatio oſtẽditur. In illam autem vrbem (meo iudicio) prophetare iuſſus eſt, vt memorãdum exemplum & certum argumentum admirabilis Dei clementiæ extaret, qua reſipiſcentibus Niniuitis pepercit, ac denunciatam cladem condonauit. Qui enim tam facilem & lenem ſe erga prophanos homines exhibuerat, de eius clementia & placabilitate quomodo Iſraelitæ pœnitentes dubitarent? Iſtam verà Dei lenitatem teſtatur hic vates verſu ſecundo capitis quarti: Sciebam te Deum gratioſum, & miſericordem, longanimem, & magna benignitate, ac pœnitentem mali eſſe. Atq; ipſe Deus eam declarat in fine eiuſdem: Tu parcis, inquit, ricino, & ego non parcerem tam magnæ vrbi, in qua ſunt plus duodecim myriades hominum qui ſuam dextram à ſiniſtra non nouerũt, iumentáq; multa? Quidam mirabilem iſtam Ionæ à nautis in mare proiecti liberationem, ab Herodoto ad Arionem fidicinem torqueri ſcribunt: Sed neque tempus quo vixit Arion, neq; patria eius conuenit. Quod verò nõnulli

hoc

hoc Ionæ ſcriptum de hiſtoria quapiam ſacra decerptum fuiſſe ſuſpicantur, ei tantum tribuerim fidei, quantum coniectura meretur. Coniunctio enim copulatiua non ſemper hiſtoriæ continuationem notat, ſed aliquando narrationis initium, vt Eſechiel. 1. cap. verſu 1. Et factum eſt anno triceſimo &c.

2 *Clama contra eam.*] Hoc ſcilicet, eam quadraginta dierum ſpacio euerſam iri, vt infra cap. 3. 5. vbi Ionas iuſſus proclamare in Niniuen edictam à Deo proclamationem, hoc proclamaſſe dicitur, Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Quare verò hoc à Iona proclamari velit, ratio hîc ſequitur: quia ſumma eorum malitia in conſpectum Dei venerat, vt iam pro iuſticia ſua vindictam exequi debeat: Solet enim Deus cum ſeruis ſuis conſiliorum ſuorum ratione communicare. Gen. 18. 20. Clamor Sodomæ & Gomorrhæ magnus eſt: Itaq; deſcendens inſpiciam num ſecundum clamorem qui peruenit ad me, fecerint. Exodi 3. 9. Ecce clamor Iſraelitarum peruenit ad me: itaq; te nunc ad Pharaonem mittam. Gen. 6. 13. Deus Noacho quid ſit facturus, & quare, oſtendit.

Aſcendit coram me.] Hoc eſt, in cœlum vſque ſua magnitudine excreuit, atque eò ad meam notitiam quaſi aſcendens peruenit: Metaphora ad intolerandam & maximam nequitiam ſignificandam, vt Apoc. 18. 5. Accumulata peccata eius in cœlum pertigerunt, & recordatus eſt Iehoua ſcelerum eius. Ezræ 9. 7. Creuerunt iniquitates noſtræ ſupra caput, & magnus in cœlum vſque reatus noſter eſt.

3 *Vt fugeret.*] Quare fugerit multæ cauſæ ab interpretibus afferuntur: Sed vera cauſa ab ipſo propheta oſtenditur cap. 4. 2. fuiſſe Dei lenitas, & ad cladem denunciatam perficiendam tarditas: Nonne hoc meum verbum erat cum adhuc in terra mea eſſem? Propterea anteuerti fugiendo in Tharſis: Sciebam enim te Deum gratioſum, & longanimem eſſe, &c. Verebatur ſcilicet ne falſus propheta haberetur.

Ioppen.] Hebraicè Iapho nominatur, vt à barbaris nunc

Iafa

Iafa dicitur. Fuit verò oppidũ in tribu Danis maritimum, Ios.19.46. De quo Plinius lib.5.14. Ioppe Phœnicum, inquit,terrarum inundatione antiquior,vt ferunt.Idem confirmat Solinus cap.37.Distitit autem à Gethchephero,vnde Ionas fuisse dicitur,2.Reg.14.25.circiter quinquaginta milliaria. Erat enim Gethchepher Zabulonis oppidum, ad lacum Tiberiadis iacens.

Euntem in Tharsis.] Verbum è verbo,venientem in Tharsis: hoc est,quæ in Ciliciam itura erat.Nam בוא propriè venire significat: Hic verò ire,bis in eodẽ versu. Sic Ruth. 3.7. Venit cubitum Boaz.i.iuit.Sic Latinè venio, nonnunquam est pro eo.Teren.in Adelphis.Nisi Cyprum ad mercatum veniam,damnum maximum est.Venire & ire idem sunt reipsa,sola ratione differunt. Hinc fit vt eundi etiam verbum aliquando veniendi notionem habeat. Numeri 22.37. Dixit Balac Balaamo. Quare non הלכת אלי iuisti ad me?id est,venisti?

A conspectu Iehouæ.] Ad verbum,à coram Iehoua. i. ab eius præsentia, nempe ab eo loco in quo Ionas corã Deo se peculiari quadam ratione præsentem exhibente erat. 2.Reg.6.32. Rex misit nuncium מלפניו à coram se, ab eo loco scilicet in quo præsens erat.

4 *Periclitaretur frangi*] Hebraicè dicitur,putaret frangi. Quod ita intelligitur à quibusdam Hebræis scholiastis, quasi vectores illius nauis putarent eam fractam iri, vt metonymia sit continentis. Ego verò priorem illam interpretationem, quæ septuaginta interpretibus, & Hieronymo,& Mercero,aliisq; nonnullis placuit,libentiùs sequor. Metaphora esse videtur ab hominibus qui periclitantur illis malis quæ sibi fore putant.

5 *Proiecerunt instrumenta.*]Supellectilem & armamenta quibus nauis onerabatur. Solet enim à nautis naufragio periclitantibus proiectio impedimentorum & onerum fieri illius leuandæ causa, vt Act.27. 18,19,38. patet. Inde illa apud Ciceronẽ quæstio 3. off. Si in mari iactura facienda sit, equine precioſi potiùs iacturam faciat,an seruuli vilis. Iuuenalis satyra 12.de Catullo periclitante.

Imitatus

Imitatus Caſtora, qui ſe
Eunuchum ipſe facit cupiens euadere damno,
Fundite quæ mea ſunt, dicebat, cuncta Catullus.
Iactatur rerum vtilium pars maxima, ſed nec
Damna leuant tunc aduerſis vrgentibus.

Ad latera nauis.] Hieronymus ad interiora vertit: rectiſſimè, vt ego opinor. Sic etiam vulgatus interpretatur hanc vocē, 1. Sam. 24. 4. Dauid cum hominibus ſuis in interiore parte ſpeluncæ fuerunt: in lateribus ſpeluncæ, ad verbum.

6 *Cogitet de nobis.*] Hoc eſt, nobis proſpiciat & conſulat, noſtri curam habeat ad nos liberandos, vt Pſal. 40. 18. Pauper ſum & inops : Iehoua de me cogitat. Simili ratione Deus opem ſuis laturus dicitur eos meminiſſe, videre, reſpicere, Gen. 8. 1. Exod. 3. 7, 9, verſibus.

9 *Et aridam.*] Terra dicitur יבשה atque etiam חרבה Gen. 7. 22. hoc eſt, aridum vel ſiccum, κατ' ἐξοχὴν à prædominante illius qualitate: Eſt enim, vt philoſophi docent, elementum ſicciſſimum. Sic Math. 23. 15. Circumitis mare & aridam, τὴν ξηρὰν. Similiter aqua abſolutè gelida vocatur. Horatius 2. ſerm. ſat. 7. *Foribuſq; repulſum*
Perfundit gelida. Math. 10. vlt. Qui vni ex hijs paruulis poculum frigidæ dederit, ψυχρὸν.

11 *Procelloſum eſſe pergebat.*] Vel magis ac magis procelloſum erat, vt Tremellius interpretatur. Ad verbum autem dicitur, ibat & procelloſum erat. Hebræi enim cùm actionis augmentum ſignificare volunt, verbū eundi præponunt. Gen. 8. 5. ire & deficere. 1. Sam. 17. 41. ire & appropinquare, pro pergere deficere & appropinquare, vel magis magiſq; appropinquare & deficere.

13 *Foderunt viri illi.*] Hoc eſt, remigauerunt. Metaphora. Aquæ enim remis penetrantibus fodi videntur. Itaque eodem tropo à poetis Latinis etiam ſulcari, arari, & ſcindi dicuntur. Virg. 5. AEneid.

Infindunt pariter ſulcos, totumq; dehiſcit
Conuulſum remis, roſtriſq; ſtridentibus æquor.

Ouidius 3. Triſt. eleg. 12.

Non niſi vicinas tutus araret aquas.

Idem metam. 11. *Reducunt*
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,
AEquali q; ictu ſcindunt freta.

15 *Deſtitit q; mare ab æſtu ſuo.*] Vox Hebræa iram vel indignationem denotat: per metaphoram æſtum ac agitationem fluctuantis & turbulenti maris. Sic Ouidius loquitur metam. 1.

Nec maris ira manet, poſito q; tricuſpide telo,
Mulcet aquas rector pelagi.

Horatius lib. epod. oda 2.

Nec excitatur claſſico miles truci:
Nec horret iratum mare.

Hinc tranquillatæ aquæ, placari & ſedari dicũtur. Gen. 8. 1. trãſmiſit Deus ventum ſuper terrã, & ſedatæ ſunt aquæ.

ANNOTATIO IN CAPVT 2.

1 *Supplicauit Ionas Iehouæ Deo ſuo è ventre piſcis.*] Hoc eſt, gratias Deo egit, Iehouam laudauit. Gratiarum enim hîc actionem contineri, & pars doctorum interpretum magna fatetur, & ego inter ea pono de quibus minimè dubitandum cenſeam. Agnoſcit enim ſe ope diuina liberatum fuiſſe, precéſq; pro ſalute ſua factas Deum exaudiuiſſe, potiùs quàm ſalutem & opem alicubi orat. Verſu 2. inuocaui (inquit) Iehouam, & exaudiuit me. In fine verſus 6. & 7. Attamen eduxiſti è fouea vitam meam, Iehoua Deus mi. Cum obrueretur in me anima mea, Iehouæ recordatus ſum, peruenítq; ad te oratio mea, in templum ſanctitatis tuæ. Hæc omnia gratiarum actionem arguunt. Caluinus ad verſum 2. Ionam Deo gratias agere affirmat. Tremellius canticum euchariſticum vocat. Hieronymus in ea verba, Clamaui &c. non de futuro eum precari, ſed de præterito gratias agere dicit. Quod verò multi exiſtimant hanc gratiarum actionem fuiſſe factam poſtquam è ventre piſcis exijſſet, longè à vero abeſſe iudico. Etenim mihi perſuaſiſſimum eſt hanc primi verſus veram & genuinam ſententiam eſſe: Supplicans verò Ionas Iehouæ Deo ſuo è

ventre

ventre piſcis, dixit, Clamaui, &c. Et propterea in fine huius capitis liberationem illius à piſce poſt hanc laudationem memorari. Tum edixit Iehoua illi piſci, &c. vt intelligamus Ionam eo ipſo tempore quo ventri piſcis incluſus tenebatur, hijs verbis, vel certè eorum ſenſu, Dei laudes prædicaſſe. Neq; verò verbum התפלל principio capitis obſtat huic ſenſui: Non enim ſemper orare, & precibus aliquid poſtulare ſignificat, ſed aliquãdo gratias agere, Deúmq; pro acceptis antè beneficijs laudare. 1. Sam. 2. 1. ותתפלל Et ſupplicauit Anna & dixit, Exultat animus meus in Iehoua, &c. Hoc eſt, gratiarum actione Dei erga ſe bonitatem laudauit. Eſt enim tota illius oratio à capite ad calcem euchariſtica. Si conferentes hæc inter ſe loca interpretes hanc huius verbi notionem aduertiſſent, minor hîc proculdubio inter eos diſſenſio contigiſſet. Ego quidem ſic ſtatuo: Ionam in mare proiectum, & à piſce abſorptum, cùm iam antè precibus à Deo contendiſſet pro ſalute ſua dum in ventre piſcis eſſet, & mirabiliter ſe in eo ab interitu conſeruari videret; certa inde liberationis ſpe concepta, propterea in hanc Dei laudationem erupiſſe. Lambertus in ſuis ad hunc locum commentarijs ita ſcribit. Ionas Dominum inceſſanter orauit, tum quum in mare mitteretur, à ceto deglutiretur, & dum in ventre eius eſſet: Moxq; vt in ventre ceti poſitus ſe agnouit à Domino exauditum, hæc apud ſe dixit, quæ magis ſunt gratiarum actiones, quàm deprecationes. Veriſſima meo iudicio ſententia.

2 *E ventre ſepulchri.*] Hoc eſt, intima parte ſepulchrī, Atque vt loquitur Eſechiel. cap. 32. 21. è medio ſepulchri, vel penetralibus mortis, vt eſt in prouerbijs. Metaphora, qua ſignificat ſe fuiſſe in præſentiſſimis periculis mortis (ni Deus liberatorem piſcem paraſſet) certiſſimæ. Eodem modo Dauid Pſalmo 18. ſe dicit vinculis ſepulchri circundatum fuiſſe, & Pſalm. 30. ex orco eductum. Qui enim exitialibus periculis & malis ita obſidetur, vt ei ante oculos mors præſens & certa obuerſetur, quaſi in communi mortuorũ ſepulchro poſitus inter mortuos eſſe videtur.

Hæc verò exitij certa discrimina 4. & 5. versibus declarantur, quibus se dicit longiorem vitam desperauisse, & ad animam vsque aquis circundatum fuisse.

3 *Fluuius circundedit me.*] Nomine fluuij hîc mare intelligitur. In quo videtur μείωσις. Similiter Homerus Oceanum fluuium nominat. Ιλιαδ. ξ.

Καὶ δὲ ποταμοῖο ῥέεθρα
Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται. Et Odyss. λ.

Μείων μὲν γὰρ μεγάλοι ποταμοὶ κὴ δεῖνα ῥέεθρα,
Ὠκεανὸς μὲν πρῶτα, ὃν ἐκ πάντες ἔασι περῶσαι
Γεζὸν ἰόντι, λιῷ μή τις ἔχῃ δυσεργέα νῆα.

4 *Ego verò dixeram.*] Gratiam Dei amplificat à discriminis magnitudine, qua eò redactus fuerat, vt vitam, & fructum illius suauissimum in cultu Dei desperaret. Grauissima ea afflictio est & acerbissima calamitas, quæ etiam spem salutis tollit: Ea enim miseris hominibus in rebus afflictis vnico solatio est. Ouidius 1. de ponto.

Spes facit vt videat cum terras vndiq; nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aquis. Tibul. lib. 2.
Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Eodem argumento Dauid Psal. 31. 23. bonitatem Dei celebrat, Ego quidem dixi me ab oculis tuis excisum esse: verùm vocem deprecationum mearum exaudiuisti. Item Esechias apud Esaiam, cap. 38. 10. Ego dicebam, Aditurus sum portas sepulchri, non sum visurus Dominum Deum in terra viuentium, non intuebor hominem ampliùs inter habitatores mundi.

Rursum intuebor.] Verbum è verbo, addam intueri. Sic Gen. 4. 2. addidit parere, pro rursum peperit. Et Lucæ 20. 12. addidit mittere, pro rursum misit, προσέθετο πέμψαι. Tremellij hîc interpretatio est, pergam intueri, quæ propter ambiguitatem, hoc in loco minùs placuit. Potest enim ea loquutione continuatio actionis inceptæ intelligi: At hîc intermissæ actionis repetitio notatur.

5 *Alga alligata fuit.*] Id ei accidere potuit in profundo maris antequam in piscem venerat, vt herbis marinis implicaretur.

plicaretur. Solet enim natantibus & demerſis alga inuolui atque illigari : atque inde nomen ab alligando apud Latinos inueniſſe putatur.

6 *Ad extrema vel radices montium.*] Maris ipſius, ni fallor, fundum intelligit, quo extremæ promontoriorum radices terminantur. Ita ſcholiaſtes Hebræus Quimquius hunc locum exponit veriſimiliter: fundamenta enim mõtium imi aquarum aluei, ipſúmq; earum pauimentum dicuntur. Pſalm. 18. 16. conſpecti ſunt aquarum aluei, & fundamenta orbis retecta ſunt. Hinc demergi dicuntur montes, Prouerb. 8. 26. propter fundamenta eorum in aquis poſita, ait in eum locum Aben Ezra.

Terra, vectes eius ſuper me in æternum erant.] Nominatiuus abſolutus, pro quod ad terram attinet, vectes eius, &c. Sic Pſal. 18. 30. Deus, perfecta via eius eſt. Et Oſeæ 9. 11. Ephraim, gloria eorum auolabit, pro quod ad Deum attinet, quod ad Ephraimitas attinet. Huiuſmodi illud eſt Ciceronis, Aer verò, qui per maria manaret, eum dixit eſſe Neptunum. Significat ſe oppoſitis terræ quaſi vectibus firmiter concluſum fuiſſe, ita vt nulla euadendi ratio pateret, quin in perpetuum periret, niſi Deus mirabili ratione ſuccurriſſet. בעד multis in locis firmam rerum concluſionem notat. Gen. 7. 16. occluſit Iehoua בעדו ſuper eum.

8 *Qui obſeruant vanitates mendacij.*] Hoc eſt, idola vana & mendacia colunt, quæ ſua inutilitate ſpem ſuorum cultorũ fallunt, vt rectè Tremel. ſenſit. Sic Pſal. 31. 7. Odi eos qui obſeruant vanitates mendacij vel falſitatis. In Apocryphis Eſteræ 14. 10. Ad virtutes vanorum prædicandas, i. idolorum. Obſeruare verò dici pro colere, antè docuimus ad verſum 10. cap. 4. Oſeæ.

Benignitatem ſuam.] Hoc eſt, Deum ſuum, benignum illis futurum ſi piè eum colerent, vt Pſalm. 144. 2. Inter alia nomina quæ à Dauíde tribuuntur Deo, hoc vnum eſt. Eum enim חסדו i. benignitatem ſuam appellat, quòd totius illius bonitatis qua fruebatur fons eſſet, & omnium beneficiorum author. Benedictus, inquit, ſit Iehoua rupes mea, benignitas mea, propugnaculũ meum, ſcutum meũ.

Hoc igitur propheta dicit, Qui colunt idola vaniſſima, eos Deum benignitatis ſuæ fontem deſerere: quia fieri non poteſt, vt Deum colant eiúſq; gratiæ participes ſint, qui ab eo ad idola impiè deficiunt: Se verò ſecus facturum, vt ſolum Iehouam colat, cuius ſolius ſalus eſt.

Caput 3.

ET fuit verbum Iehouæ ad Ionam iterum dicendo.

2 Surge, adi Niniuen ciuitatem illam maximam, & proclama in eam proclamationem quam ego edico tibi.

3 Surrexit itaque Ionas, & Niuiuen adiut, ſecundum verbum Iehouæ. Niniue autem erat ‖ vrbs magna Dei, ‖ itinere tridui.

4 Cœpítq; Ionas ire per ciuitatem itinere vnius diei: proclamauítq; dicens, Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.

5 Crediderunt verò Niniuitæ Deo, & indixerunt ieiunium, & induerunt cilicia à maximo ipſorum vſque ad minimum ipſorum.

6 Peruenerat enim verbum ‖ ad regem Niniues, qui ſurgens è ſolio ſuo, amouit togam ſuam à ſe, & operuit ſe ſacco, & ſedit in cinere.

7 Et cõuocauit [populum] & edixit per Niniuen ex ſententia Regis & procerum eius, dicendo, Homines & iumenta, ‖ boues & oues ne guſtanto quidquam, ne paſcuntor, neque aquas bibunto.

8 Et operiuntor cilicijs homines ac iumenta, & ‖ Deum inclamanto fortiter: ac reuertuntor quiſq;

à via ſua mala, & ‖ ab iniuria quæ in manibus eorum eſt.

9 ‖ Quis ſcit an reuertatur & pœniteat Deum, & auertatur ab æſtu iræ ſuæ vt non pereamus?

10 Vidit autem Deus opera eorum quòd à via ſua mala reuerſi eſſent: & pœnituit Deum mali quo ſe dixerat eos affecturum eſſe, & non affecit.

Caput 4.

DIſplicuit verò Ionæ maximè, ‖ ægréq; ei fuit.

2 Et Iehouam orauit dicens, Quæſo Iehoua, an non erat hoc verbum meum dum eſſem adhuc in patria mea? ‖ Idcirco anteuerti fugiendo in Tharſis: ſciebam enim te Deum gratioſum, & miſericordem, longanimem, & magna benignitate, ac pœnitentem mali eſſe.

3 Nunc ergo Iehoua, Accipe quæſo animam meam à me, nam præſtat mori me quàm viuere.

4 Dixit verò Iehoua, ‖ An factum bene quòd tibi ægrè eſt?

5 Et egreſſus Ionas ex vrbe ſedit ab oriente ciuitatis: facto enim ſibi illic tabernaculo, ſedit ſub eo in vmbra, vſq; dum videret quid in ciuitate futurum eſſet.

6 Parauit autem Iehoua Deus ‖ ricinum, qui aſcendit ſupra Ionam vt eſſet vmbra ſuper caput eius ad liberandum eum à malo ſuo. De ricino verò illo Ionas lætitia magna lætatus eſt.

7 At parauit Deus vermem ascendente aurora postridie, qui ricinum percussit vt exaresceret.

8 Fuitq; cum sol oriretur, vt Deus pararet Eurũ vehementem: ‖ Percussitq; sol caput Ionæ adeo vt deficeret, expeterétq; seipsum mori, dicens, Præstat mori me quàm viuere.

9 Tum Deus Ionæ dixit, An rectè doles propter ricinum? qui dixit, ‖ Rectè doleo ad mortem vsq;.

10 Tum Iehoua, ‖ Tu parcis ricino, inquit, ‖ pro quo non laborasti, & quem non educauisti, ‖ qui vna nocte extitit & vna nocte periit.

11 Et ego non parcerem Niniue ciuitati maximæ, in qua sunt plus duodecim myriades hominum ‖ qui dextram suam à sinistra sua non internoscunt, iumentáq; multa?

ANNOTATIO IN CAP. 3.

3 *Vrbs magna Dei.*] Hoc est, diuina: Hebræos enim genitiuum pro epitheto ponere notum est. Ita propter summam illius excellentiam vocatur: Res enim in aliquo genere excellentes ab Hebræis res Dei dicuntur. Montes Dei, Psal. 36.7. Cedri Dei, Psal. 80. Simili ratione eximia, & insigni aliqua qualitate præstantia quæuis & mirabilia, Latini diuina appellitant. Græci etiam, vt testatur Eustathius in Homer. iliad. α. ad ea verba δῖος ἀχιλλεύς, à quo propter vastitatem & magnitudinẽ, mare diuinum, & charybdim diuinam dici affirmat. Ad eundem igitur modum, ni fallor, antiquissimus ille poetarum etiam de vrbe totius Peloponesi clarissima, odyss. 3. dixit.

Πομπῆς ἔσουτ' ἐς Λακεδαίμονα δῖαν.

Similiùs & propiùs huic loquutioni Hebręæ, qua Niniue vrbs Assyriorum maxima vrbs Dei, vel diuina dicitur, propter miram illius magnitudinem: quam multa arguunt.

uit. Plus duodecim myriades puerorum continebat, cap.4.verſ.vltimo. Area eius in ambitu erat quadringentorum ſtadiorum, Herodoto & Diodoro teſtibus, hoc eſt, quinquaginta milliariorum: Octo enim ſtadia vnum milliarium efficiunt. In murorum ambitu fuerunt mille & quingentæ turres, vt ijdem authores tradidere. Denique, id proxima verba oſtendunt.

Itinere trium dierum.] In quorum tamen intelligentia, Theodoreto aſſentior, iter hîc non tam viatorum profectione, quàm commoda præconis prædicantis ambulatione æſtimanti: Eò quòd Ionas ſequente verſu dicatur cœpiſſe progredi ad iter vnius diei. Præterea, ea vicorum & platearum ratio eſt, vt ſi quis totam ciuitatem obire & perluſtrare voluerit, ei ſæpiùs eadem ſpacia emetiri neceſſe ſit. Neque enim ita accipiendum eſt tridui iter, quaſi rectâ ei ad eam longitudinem pergendum fuiſſet. Hæc omnia probant eam raræ cuiuſdam magnitudinis fuiſſe, vt non temere diuina, & חז גדולה maxima, cum emphaſi & ſuperlatiui gradus nota Gen.10.12.dicatur.

6 *Ad regem.*] Haud ſcio an hic fuerit Sardanapalus corruptiſſimus ille Aſſyriorum rex. Sed eum temporibus illis in Aſſyria regnaſſe chronologi tradunt: & Aſſyriæ Metropolis erat Niniue, & minimè mirum eſſet ſub tam corrupto rege malitiam populi in cœlum vſq; aſcendiſſe, vt verſu 2.cap.1.legimus.

7 *Boues & oues ne guſtanto quippiam.*] Ad grauiſſimum luctum teſtandum etiã iumenta à cibo cohibebantur. Virgilius de acerbo propter Cæſaris mortem luctu loquens ægl. 5.

Non vlli paſtos illis egere diebus
Frigida daphni boues ad flumina: nulla neq; amnem
Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

8 *Deum inclamanto* בחזקה.] Cum robore, vel fortiter, i. quàm maximè potuerint. Eadem phraſis eſt in Apochryphis additionibus Eſteræ cap.13.18. Omnes Iſraelitæ quia mors ipſorum oculis obuerſabatur, clamauerũt ἐξ ἰσχύος αὐτῶν ex robore ſuo, pro virili, quantum potuerunt.

Ab iniuria vel à violentia quæ in manibus eorum est.]Hoc est, cuius ipsi manibus suis perpetratæ rei sunt, vt Esaiæ 59.6.opus iniuriæ vel violentiæ in manibus eorum est. Iobi 16.17.Nulla in manibus meis iniuria est. Hebræi enim scelera quæ homines suis manibus perfecerunt,in eorum manibus esse dicunt: Cuiusmodi sunt furta,latrocinia,rapinæ,cædes,percussiones,munera, aliáq; id genus. Hinc Esechiel 23.37. sanguinem in homicidarum manibus esse dicit: & Dauid Psal.7.4. iniquitatem, cuius reus non erat, in manibus suis esse negat. Contraria ratione mundæ & puræ dicuntur eorum manus, qui talium maleficiorum culpa & reatu vacant.Psal.24.4. Mundus manibus, & purus corde.

חמס iniuriam significat & violentiam. Hieronymus & Mercerus iniquitatem hîc interpretantur. Alij rapinam vel rapacitatem intelligunt.

9 *Quis scit an reuertatur?*]Dubitantis,vt Ioelis 2.14.vide in eum locum annotata.

ANNOTATIO IN CAP. 4.

1 *AEgrè fuit ei.*] Sensus est, eum grauiter & molestè tulisse. Nam חרה ne semper irasci significare putetur, aliquando displicentiæ & doloris notionem habet. Genes.45.5. Ne tristemini, neque displiceat ראל יחר 1.Samuelis 15.10. Displicuit vel ægrè fuit Samueli ריחר vide hîc versu 9.

7 *Propterea anteuerti fugiendo.*] Causam hîc fugæ suæ ipse Ionas declarat. Cum enim fore putaret, vt Deus pœnitentiâ motus resipiscentibus Niniuitis parceret,neq; denunciatũ à se malum perficeret; verebatur ne falsus propheta illis videretur. Vanum verò & mendacem vatem haberi graue est: Quod Mosem etiam ipsum deterruit, Exod.4 1.Non sunt credituri mihi,sed dicent, Non apparuit tibi Iehoua.

4 *An bene factum quod tibi ægrè est?*] Ad verbum, an bene tibi ægrè est? Id est, an rectè & iustè hoc à te fit, vt grauiter id quod feci & molestè feras? Haud dissimile illud

lud Deut. 5. 28. Quæcunq; loquuti sunt, bene loquuti sunt. vide vers. 9.

6 *Ricinum.*] Ante Tremellium eam esse veram Hebręæ vocis קיקיון significationem, tradidit Iohannes Mercerus, id doctus (vt fatetur) à præsule Monspessulani. Drusij verò idem de hac voce iudicium erat antequam Merceri commentarium vidisset, vt de se testatur libro 2. quæstionum, quæstione 44. vbi copiosè hanc illius notionem & vim declarat. Eam tandem sententiam Arias Montanus in suis ad hunc locum commentarijs confirmauit. Cuius veritas illorum rationibus ita mihi probata & persuasa est, vt nesciam quæ confirmatior interpretatio sit, ac mirer, si quis tam pertinax versionum veterum defensor inueniri queat, qui eas huic nouæ non postposuerit. Primùm enim קיקיון Hebræum idem est quod Arabum elcherna. Id ita esse scribit Hieronymus in hunc locum. קיקיון inquit, lingua Syra & Punica elcheroa dicitur. Idem affirmauit magister Samuel Hophnides Hebræus, teste hîc Quimquio, herbã esse חנקרא בלשון ערבי אל ברוע i. dictam Arabica lingua elcherna. Iam verò elcherna, vel (quod sine articulo idẽ est) cherna Arabibus id esse quod Latinis ricinus, medicorum Arabum interpretes summo consensu tradiderũt. Ex quo efficitur קיקיון hîc verè ricinum dici. Quod etiam ex alio eiusdem nomine in Talmudicis libris Hebræorum vsurpato probatur, cùm dicunt ולא בשמן קיק neq; oleo kik. Nam קיק eo in loco idẽ valere quod קיקיון author est eruditus quidam Lakis. Atq; idipsum Quimquius in Grammatica sua, ea parte qua varias nominum Hebræorũ formas ostendit, iudicio suo cõfirmauit. Cui rei etiam fidem facit ipsius linguæ Hebręæ natura & proprietas. In qua ad formationem nominum illa terminatio יון ad radicem sæpenumero adijcitur. Hoc verò nomẽ קיק ricino significando inseruire, vel ex eo verisimillimum sit, quòd eadem fere vox à prophanis quoq; authoribus ad ricinum notandum retenta sit. Dioscorides lib. 4. cap. 158. eum κίκι vocauit. Item Plinius lib. 15. cap 7. Proximum, inquit,

quit,oleum est quod fit è Cici arbore in AEgypto copiosa, alij Crotonem,alij Trixin,alij Sesamũ sylueſtre appellãt. Noſtri eam ricinum vocant,à ſimilitudine ſeminis. Hæc ille. Eodem verò nomine Hebræorum vicinos AEgyptios,olim ricinum vocauiſſe, illud ab Herodoto in Euterpe de AEgyptijs memoriæ proditum arguit. Ἀλείφατι ᾧ χείωνι) ἀπὸ τῆδ σιλλικυπρίων καρπῦ, τὸ κρόλευσι μὲν Αἰγύπτιοι κίκι. Inde enim illud oleum κίκι nominatum videtur, quòd ex fructu arboris κίκι ab illis vocitatæ quam Herodotus Græcè σιλλικύπριον dixit,expreſſum fuerit. Qua ratione Dioſcoridi κίκινον, Plinio cicinum oleum dicitur. Deniq; ſi ea quæ de קִיקָיוֹן ab Hebræis, & quæ ab alijs de Cherna ſiue ricino dicũtur cũ hoc loco ac inter ſe conferãtur,hoc quoq; modo eandem plantam vtróque nomine oſtendi & deſignari liquebit. קִיקָיוֹן igitur Quimquius ita hîc deſcribit: Eſt (inquit) herba longis & altis frondibus vmbroſa. Multis verò ante eum annis,quidam Rabba filius Hannæ dixit eam iuxta aquas creſcere,& pro tabernarum foribus ſatam, ad vmbram faciendam erigi & educi, ac de granis eius oleum fieri. Iam verò ricini apud Dioſcoridem talis deſcriptio eſt: Arbor prouenit paruæ ficus altitudine, folio platani maiore, ſemine in vuis aſperis,quod corticibus exutum ricinum animal repræſentat: ex quo oleum nomine cicinum exprimitur, cibis fœdum, lucernis emplaſtríſq; vtile. Herodotus libro paulò antè memorato, Sillicypria,inquit,apud Græcos vltro naſcuntur: In AEgypto verò ad oras fluminum ſtagnorúmq; ſeruntur, multum ferentia fructum, ex quo ad ignem contuſo, vel cocto in ſartagine, pingue quiddã defluens excipiatur ad lucernas non minùs idoneum quàm oleum,ſed graueolentiam exhibens. Plinius lib.15.7. In Hiſpania repentè prouenit, altitudine oleæ,folio vitium: In aqua coquitur ſemen eius, innatánſq; oleum tollitur. Hieronymus in ſuis ad hunc locum commentarijs,Genus eſt virgulti vel arbuſculæ,lata habens folia in modum pampini,& vmbrã denſiſſimam, ſuo trunco ſe ſuſtinens; quæ in Paleſtina creberrimè naſcitur,& maximè in arenoſis locis: mirúmq; in modum ſi

ſemen

ſemen ieceris,citò confota,conſurgit in arborem, & intra paucos dies,quam herbam videras,arbuſculam ſuſpicis.In iſtis deſcriptionibus multa ſunt,quæ huic Ionæ קיקיון aptiſſimè conueniunt.Primùm altitudo quæ ab omnibus fere memoratur, vndè à quibuſdam eorum etiam arbor dicitur,cùm reuera potiùs herba ſit: Hæc enim Ionæ tam alta erat,vt ſupra caput eius aſcenderet. Tum foliorũ magnitudo, indéq; proueniens vmbræ denſitas magno illorũ conſenſu confirmata: Nam & hæc quoq; vmbroſa erat. Poſtremò quod à Plinio & Hieronymo de naſcendi celeritate narratur, decimo huius capitis verſui conſentaneũ eſt: Nec tamen dubito, quin mirifica ſua potentia Deus in huius ſtirpis ortu & interitu tam repentino & momentaneo,miraculum ediderit. Hijs ego rationibus adductus, eorum ſententiam qui קיקיון ricinum interpretantur, valde probo.Nec moror Tridentinum anathema,quo vulgatam huius vocis verſionem contra non ſolùm apertam veritatem,ſed etiam ipſius authoris ſententiam ſtabiliuerunt: Hieronymus enim ipſe fatetur ſe hederam cum veteribus tranſlatoribus interpretatum eſſe, nõ quòd eam interpretationem probaret, ſed quia nomen Latinum, quo vera illius ſignificatio exprimeretur,ignoraret. At ex Plinio nobis compertum nomen non vnum eſt.Is enim Cici, Crotonem,ricinũ vocat:Alij Trixin & Seſamum ſylueſtre. Quidam σίσιλι κύαμον, ait Dioſcorides. Herodotus σιλλικύαμον dixit.

8 *Percuſſit ſol caput Ionæ.*] Vehemente calore ſuo vſſit & læſit.Sic Pſal.121.6. Interdiu ſol non percutiet te.Metaphora: Sol enim radijs ſuis quaſi percutere videtur. Ouidius metam.9. eadem vtitur.

Lux ſubit & primo feriente cacumina ſole,
Diſcedunt iuuenes. Sed hoc loco maior radiorum ſolarium vis ſignificatur.

9 *Rectè doleo.*] Vel rectè dolet mihi, aut ægrè eſt mihi vſq; ad mortem : Hoc eſt, grauiſſimo quidem dolore afficior,vt parum à morte abſim: Atq; in eo rectè facio,tantíque doloris mihi iuſta cauſa eſt. Dolor ad mortem vſque

lethalis

lethalis & mortifer, longéq; grauissimus dicitur, Math. 26. 38. Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Ecclesiastici 37. 2. Tristitia ad mortẽ vsq; est, cum amicus ad inimicitiam conuertitur: Hoc est, vltimus tristiciæ gradus in eo est, cum id contingit. Eodem sensu imminui dicitur Sampsonis anima ad mortem, Iudicum 16. 16.

10 *Tu parcis.*] Hoc est, perijsse doles. Comparatione minorum Ionam confutat: Tu cum sis homo parcis, nonne ego magis id facere debeam qui natura bonus & clemens sum?

Pro quo non laborasti.] Μᾶλλον ἀγαπῶσι τὰ ἔργα αὐτῶν, ὥσπερ οἱ γονεῖς τὰ ποιήματα, ait Aristoteles ethic. 4. eo argumẽto probans eos qui à parentibus opes acceperunt, liberaliores esse ijs, qui suo eas labore quæsiuerunt. Quamobrem, si Ionam interitus ricini qui eius opus non erat, tanto dolore affecit: quanto maiori curæ Deo sua opera, & quidem nobilissima, nempe homines à se creatos esse oportuit? Itaq; ad amorem Dei declarandum non parum valet, quòd Esaias cap. 5. Israelitas vocat plantam deliciarum eius: & Dauid oues manuum eius. Psal. 95. 7.

Quæ vna nocte extitit] Tu moueris herbulæ euanidæ ac momentaneæ iactura, atq; eius quidem vnicæ: Quanto magis ego de tam magna & clara ciuitate sollicitus ero, præsertim quæ tot in se innocentium puerulorum millia continet? Diuturniora enim breuioribus, & plura paucioribus anteponenda. Talis illa comparatio est, Math. 6. 30. Si herbam agri quæ hodie extat & cras in clibanum mittitur Deus ita circumuestit, nonne vos multò magis?

11 *Qui non nouerunt.*] Paruulorum periphrasis est, quorum cum bestijs, propter eorum innocentiam, mentionem facit.

FINIS.

TIGRE : REO.
ANIMALE
DEL.
ADAM. VECCHIO.
FIGLIVOLO. MERCE.
LEVANGELIO. FATTO.
NESTAT
AGNELLO